



G 208 L

Dono dala
a soy

PARADOXUM
CHRISTIANUM;
LÆDI
NEMINEM,
TISI à S. E. I. P. S. O.;
PHOT

BARTHOLOMÆO

FISEN,

Leodiensi, è Soc. JESU.

DD. Sodalibus, è quatuor
Academicis Facultatibus

Sub Titulo.

B. M A R I Æ V.

In Cœlos assumptæ,

In Cæfareo, & Academico Soc.

JESU Collegio Viennæ Con-
gregatis

Pro XENIO OBLATUM.

Anno M. DCC. VIII.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis Annæ Franciscæ Voigtin, Viduæ.

1411

*REVERENDISSIMO,
PERILLUSTRI,*

ac

AMPLISSIMO DOMINO,

D O M I N O

GENESTECK

Celeberissimæ Collegiatæ
Ecclesiæ Canonicorum Regula-
rium Ordinis S. Augustini, ad

*D. MARIAM Virginem
Claustro-Neoburgi*

P R Æ P O S I T O.

Vigilantissimo,

*SS. Theologiæ Doctori, Sa-
cræ Cæsareæ Majestatis*

C O N S I L I A R I O ,

DOMINO DOMINO

P R Æ S U L I

Ac

R E C T O R I

S u o M a r i a n o G r a t i o s i s s i m o .



Enue hoc gravitudinis si-
gnum Tibi Reverendissi-
me ac Amplissime Prä-
fus desert Cætus noster Par-
thenius, Paradoxum Chri-
stianum: Lædi neminem nisi à sciplo,
cujus veritas, si mens humana sui amo-
ris ponat caliginem, illustrius, quam
Sol in meridie, eidem affulget. Verus re-
cti Arbitr cùm sis, nihil præter æquum,
bonumque à se hoc in facto committi co-
tus noster Parthenius censebat, quod lib-
bellus hic manus incurrit, omnem qui
lapidem removeat, ut inoffenso pede ad
Te Reverendissime, ac Amplissime Præ-
fus gressum dirigat. Quod si fidem me-
reatur: Neminem lædi, nisi à sciplo;
non facile Cætui nostro succensebis. Recte
etiam Magnæ Matris Cultori Magno hoc
Devotionis in Te nostræ pignus desertur:
Magno Cultori dixi, an non magnus es,
qui nihil magnum aestimas, quod virtute
Cælo est minus? qui rebus maximis

præs, & de quo veluti Oraculo consilia
promuntur ? qui eadem, quæ singularis
astrorum Principis prærogativa est, om-
nium luminum fœundam virtutem sui
splendoris Majestate circumscribere, reli-
quorumque siderum lucem in se uno colligere;
& hæreditario quoque jure
sas per omnes Cœtus nostri Clientes virtu-
tum radios in Te uno colligere videris.

Quare vero non potes libellum hoc tuo
Nomini inscriptum, hoc enim Tua vir-
tutum excellentia, ardentis in DEUM,
Deique Matrem Charitatis magnitudo ef-
flagitarunt. Non aspernaberis itaque
Reverendissime, ac Amplissime Præsul
hunc pietatis parvum illum quidem, sed
maximi tamen affectus indicem, quo ad
aras honoris Tui in æternum observantiae
suæ pignus libellum hunc affigit, & Ma-
riano hoc fultus præsidio audentior se se-
stis obtutui.

Reverendissimi Perillustris,
ac Amplissimi Præsulis ac
Rectoris sui Parthenii

Sub Titulo gloriose in
Cœlos assumptæ Magnæ
Matris Sodalitas.

• **Q**uid est ergo? **Q**uid est ergo?
Quid est ergo? **Q**uid est ergo?
Quid est ergo? **Q**uid est ergo?

PRÆLOQUIUM.

Rem actam agis ; dictamque
 centies a-nuo dicitur, opponet
 mihi quispiam. Chrysosto-
 mum enim de hoc ipso argu-
 mento gravissimè disputantem quis non vi-
 dit ? Istud equidem haud ignoro : cuius
 causa si tacendum sit , nemini profectò
 fas unquam fuerit loqui. Aut falsum il-
 lud est : Nihil dictum, quod non dictum
 sit priùs. At verò certum est , Ecclesiaste
 sic affirmante : Nihil sub sole novum.
 Nec valet quisquam dicere : Ecce hoc
 recens est. Jam enim præcessit in sœ-
 culis , quæ fuerunt ante nos. Et ta-
 men jam inde à primis temporibus , eodem
 teste , faciendi plures libros nullus est
 finis. Nec id abs re judicarunt viri sa-
 pientissimi ad usque nostram hanc at-
 tem. Miraris illam tantorum hominum
 diligentiam , quam quidem supervacaneam
 appellas ? Sed mirantur illi , deplorant , at-
 que adeò corrigere connituntur istam tuam
 oscitantiam ; qui gravissimis sententiis ,
 testimoniosque , ac exemplis confirmatae

PRÆLOQUIUM.


toties salutarem disciplinam, necdum in animum induxisti tuum, in actum necdum eduxisti. Atqui donec feceris, non cessabunt illi typographica præla sanctioribus suis commentariis deterere. Et si suā spe dejeceris, suum nihil minus à DEO præmium ferent. Nónne infirmum meum i[n]f[er]mum? s[ed] abundūnque stomachum ciborum usq[ue] s[er]uitate, vel apparatu condimentorum provocant; ut qui hunc fortasse rejicit, illo saltem, aut isto capiatur cibo: aut è singulis aliquid delibando, ex omnibus accipiatur, quod satīs sit ad victum? Ita C[on] hostis pertinaciam frangit, ac debellat sapiens Imperator, nunc insidiis, p[ro]st aperto Marte: instat modò, C[on] urget, modò cedit; in latera mox fertur, tum terga premit; invehitur nunc in frontem; dum certam denique victoriam extorqueat. Audeo igitur C[on] ego: neque bastam mihi projiciendam arbitror, quamquam post fortissimorum Imperatorum conatus subinde irritos. Non quod mihi plus roboris esse credam. Sæpè ignavi Theristæ manu victus est, qui vim, C[on] ferrum Achillis effugerat. Evangelicæ Philosophiæ præstantiam quis non suspicit, C[on] veneratur? A Christo, ipso Divinae sapientiae fonte profluxisse scimus. Plerisque tamen, postquam sæpè, dilique sacrosanctos

PRAELOQUIUM.

Eos codices pervolutarint, in densis igno-
rantiæ, scelerumque tenebris hæsisse com-
perimus; qui in clarissimam postea lu-
cem evaserunt, educti ratiocinationibus,
ab Evangelicâ quidem Scripturâ petitis,
sed quas mortales nescio qui homines con-
cepissent suo modo, litterisque consignâ-
sent, aut sua dictione protulissent ad con-
cionein. Quamobrem ut ego quidem S.
Joannem Chrysostomum eloquentiâ,
sapientiâ, sanctitate præstantissimum,
& Orientalis Ecclesiæ decus, præsidium
que longè firmissimum amavi semper,
semper suspexi; quod in quacumque arte
tironibus permittitur, vestigiis ejus legen-
dis me jure nemo arcebit. Aurea ille elo-
quentiâ, fortitudinéque verè Christianâ
commentarium scripsit, quo Lædi nem-
nem, nisi à seipso sapienter, ut solet,
probat. De quo quid dicam: Baronium
audi. Opus hujusmodi est, (inquit,)
ut ipsum solum satî esse possit ad ab-
solutissimum philosophum efforman-
dum: novissimus tanti Patris partus,
quem dolore conceptum, morte etiam
nobili consecravit. Unde eum jure
quis appellat Benoni, filium nempe do-
loris: sed ipse Benjamin magis propriè-
dicendum putavit, videlicet dexteræ
filium: utpote qui efficacissimus sit,
quem-

PRAELOQUIUM.

quemlibet afflictionum abyssō submersum consolatione erigere, atque spirituali lætitia super cœlos efferre: ac proinde dignissimus, qui semper præ manibus habeatur, utpote dulcissima tanti patris ultima verba. Eximium illum ducem quemadmodum vitâ, cur non & stilo sequi non modò liceat, sed & mibi gloriosam sit? Eodem, quo ille, argumento hanc disputationem instituo. Sed quod oratione continua ille, hoc ego concisâ interrogatis, & responsis conabor: ut quos dictio[n]is gravitas non ceperit, illis forsitan (si Deus adspiraverit) collocutionis facilitate persuadeam. Inter duos collocutiones facio. Qui docet, quod virum animi robore invictum præferat, ANICETUM appello: ANANDRUM alterum, quia pusillum animum, ac imbecillum ostendit. Si pretium operæ retulero, (quod equidem Deum Opt: Max: precor) hoc mihi, meoque merito libens sumam, quod pharmaco-pæjo tribui solet, qui de medici alicujus præstantissimi præscripto medicamentum ægroto composuit: restitutæ verò valetudinis gloriam uni post Deum Chrysostomo relinquam.



PARADOXUM
CHRISTIANUM
LÆDI NEMINEM,
NISI A SEIPSO.
LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Ingressus in disputationem.

ANANDER. Quæ famâ accepimus, & dudum deplo-ravimus mala per omnem, quâ latè patet, Germaniam grassantia; ecce spectamus, mi Anicete, imò sentimus in intimis Belgicæ nostræ visceribus. O temporum calamitates ineluctabiles! O Patria! quam te video? Et ut ne viderem funestis illis casibus colluctantem, quam acceptum foret exilium quodcumque!

A NICETUS. Quid ais, Anander? Illâne tua est in patriam charitas?

ANANDER. Illa verò est, quæ mor-

tem mihi suavem , & omni vitâ optabiliorem efficit. A N I C E T U S. Toto aberras cœlo : non est ista in patriam charitas. Immodicum tui ipsius amorem verius indigitaveris ; aut certè animi turpem dejectionem ; quâ horres aliquid cum patria , & pro patria pati : ac ne patiaris , extra patriam fugere velles ; atque adeò extra vitam. Fortem profectò virum, amantémque patriæ ! Nonne illam deseris , tuoque destituis auxilio , quando fugis è vita : tibi verò consultum arbitraris , quia te collocas extra teli jactum ? Non tuam à te mortem patria flagitat : suos enim invult & vivere cives , & florere ; quorum opibus , fortitudinéque defendatur. Illam porrò si, ut debes, amas ; & malis undique premi intelligis : te collige, sta in gradu , intrepidè tuere , quam dulcem appellas matrem : & , si rei gravitas exigit, nec patriæ aliter incolumitatem speras , tum demum fortiter occumbe. A N A N D E R. De defensione tum cogitandum , expedienda tum arma , quando mali vis superari , aut certè sustentari potest. Verùm superandi , vel sustentandi quæ spes esse possit ? quis ad repugnandum sit animus , quando tot undique cingunt marorum

Iorum omnium phalanges? tot incur-
runt tela dirum interitum minitantia?
Quà patet animus, quà corpus, ferrum
in intima viscera recipimus. A N I C.

Rectè locutus es, quum dixisti Recipi-
mus. At sapientiorem te sanè vellem.
Cur enim recipis? ANANDER. In istis
me malis rides? Aut verò desipis,
Anicete? Validum, & aciei firmissimæ
telum intorquetur in me balistâ. Quæ-
ris, cur recipiam? Vel si è chalybe fi-
ctum me opineris; illæsus à tantâ vi
non permanebo. Nisi illis me lavisse
aquis existimas, quibus Achillem à
matre cecinerunt olim immersum Poë-
tæ, ut ne ullo violari ferro posset. Ve-
rūm apage fabellas istas. Tu serium
loquere. Censes à tantâ vi posse non
lædi? A N I C E T U S. Imò nec tangi.

ANAND. Prodigia narras: sed ex il-
lis (ut quidem suspicor) petita Philo-
sophorum scholis, qui à malleo qua-
tacumque vi incusso tangi numquam
incudem contendunt. Parem apud me
fidem utrumque inveniet. ANICET.
Philosophicum hoc placitum è Physi-
cis probato, cui allubuerit. Ethicen
ego libentiùs amplector: ut quæ com-
ponendis moribus apta, majus creet
bonum; eoque laudem mereatur ma-

jorem. Hæc illa porrò est unica , quæ Divinum, & impenetrabile tibi scutum fabricabit ; quo tectus immissa undecumque tela contemnas : & illa omnia, quæ vulgus appellat Mala , nullum infligant vulnus , si quidein volueris.

ANAND. Quem me Heroa , vel semideum fingis , Anicete ? Nec enim, opinor, homo unus vivit , qualem depingis , Atlantem nescio quem , aut succenturiatum illi Herculem : columnas cœli nimirum inconcussas :

*Quos, si fractus illabatur orbis,
Impavidos feriant ruinæ.*

ANIC. Mitte cum semideis fabulas. Loquor ego seria : homines loquor.

ANAND. Homines , ais ? Ex quo quæsitos orbe ; obsecro ? nam hic tales minimè producit. Thomæ Mori fortassis Utopiam oberrâris aliquando, in qua hujuscemodi homines inveneris.

ANICET. Menter meam necdum perspicis. Aperui tamen. Animus adverte.

CAPUT II.

*Lædi est Malo affici. Malum non esse
ajo , quod vulgus appellat.*

Si quibus te confodi telis deploras, ea non esse verè Mala demonstravero , quam-

quamquam ita vulgus hominum loquatur, nonne illis te numquam lædi posse probavero? Quid enim est lædi? *Malo*, inquies, *Aliquo affici*. *Aliquod pati Malum*. Teneris, bone vir. Tantum id certum, & in confessio habe: Lædi nihil esse, nisi *Malo affici*. Ex eo quippè relinquitur, minimè tum lædi te, quoties irruunt in te cateruæ etiam innumeræ eorum, quæ *Mala* tu quidem cum imperitâ multitudine nuncupas; at revera non sunt. **ANAND.** In novas me, aut verius ipsum te conjicis tenebras, primis illis densiores; qui sincerâ te unum luce frui opinaris, cœcutire cæteros in obscura caligine. Sed tuum sentire tibi liberum esto: mihi meum cum tota mortalium multitudine, quam vocas imperitam; quotidiano tamen fateri debes doctam experimento: quo tu destitutus, sophisticis nescio quibus dumtaxat inniteris conclusiunculis. Aut certè (quod sapientiæ tuæ magis est consentaneum) missas facito captiosas istas argumentationes, quæ vanis verborum ambagibus veritatem involucentes, in opinionum avia, nullisque trita hominum vestigiis seducunt. Mecum, imò cum universo hominum genere vide, certaque

tâque judicij lance perpende, quâ demum ratione in Malis reponi non debant, quæ passim appellamus Mala: appellamus, inquam, unâ omnium confessione, quæ Mala esse sentimus. Quis verò neget, cui sanæ mentis paucillum sit? Facto veluti censu, partem illorum aliquam produco; quo singulis aliquo modo lustratis ad te redeas; aur certè ad nos, in saniorem sententiam. Publicas patriæ calamitates, quibus ubique gentium omnes indolete solent, in Malis quis non reponet? Ab his exordior, quod illas primùm fueris aggressus. De adversantibus fortunæ casibus, & iniquitate quid censes? Paupertas, morbi, orbitas, charorūmque amissio, Malum tibi non videatur? Sed invidiam, odiūmque ab inimicis; illorum verò, quos amicis annumerabamus, defectionem, & perfidiam quam ægrè sustinemus? Quid? Bonisne accensebis infamiam, calumnias, accusations, condemnationes? Tum quam ille ab humano alienus, qui in vinculis, exilio, tormentis, servitute, ipsâ denique morte, Mali nihil sentiat, aut sentire nihil alleveret? Quid post hæc, Anicete? Perges ista in Malis non reponere? aut forsitan etiam

Bonis accensere ? ANIC. Pergam : nec enim audio , quod me sententiâ dimovere debeat. Numquam ego afferui multitudinis illam esse mentem : nedum eam tantâ frui tranquillitate. Contendo tantum ego , ita se rem habere, Contrarium tu confidere putas, quando sentientem , & viventem alter producis multitudinem. An quia pedalem esse solem existimant imperiti , tu pedalem esse fateri debeas ? An qui oblatrat lunæ canis, splendorem detrahit ? Non quid experiantur imperiti : sed quid vero , quid rectæ rationi consentaneum sit , affirmavi. Non , quam agant homines vitam , demonstravi ; sed quam agere possint. Scio ; illam , de qua mihi sermo fuit , animi tranquillitatem pauci consequuntur : contrà longè plurimi suos miserè dies trahunt , innumeris obruti Malis. Sed meâ nihil interest : ipsi quippè voluerunt. Ego verò *Lædi Neminem* numquam affirmavi ; sed eum dumtaxat , qui vellet. Si voles , in illa animi tranquillitate securus conquiesces ; quia nulla sunt , quæ sic animo affectum lædere valeant , Mala. Quas eorum contrà jam recensuisti copias , eō visus es ostentare consilio , ut ad pugnam

eliceret. Gaudeo. Congressum desiderabam; non tam ut victoriæ gloriæ fruerer, (quod vanum esset, atque studiorum nostrorum indignum gravitate) quam ut tu meliorum rationum robore vinctus, tyrannos illos timere dedicas: discas vincere, à quibus malis nihil infligi queat, nisi volueris.

ANAND. Quemadmodum de palma certus, ita loqueris. Cave, ante victoriam epinicion canas, & triumphes. Nam ut maximè cupiam illo me collocari statu, quem jubes sperare: tam altum est, quod doces, & supra sensus nostros, ut non facilè persuaseris. Cæterū age: si vicero, gaudebo te deductum ad æquitatem: fin autem; gravissima liberabor tyrannide: & lubens tibi, meritōque civicam debebo.

CAPUT III.

*Definio Malum: & in Morale partior,
ac Naturale.*

ANICETUS. Primum omnium, ne curramus in incertum, aut cæco iœtu Andabatarum more decertemus, cavendum nobis est, ne sermonis ambiguitate abeamus in diversa singuli. Disputare ergo constituimus, *ledine possit*

poſſit ab alio quispiam , quām à ſeipſo .
 Et jam conuenit inter nos , lædi nibil
 aliud eſſe , quām affici malō aliquō . Mo-
 dō quærendum venit , quid Malum eſ-
 ſe dicamus . In quo quidem totius diſ-
 ceptationis cardo vertitur . Quando e-
 nim jam affirmabam non eſſe Mala ,
 quæ Mala hominum vulgus appellat ;
 in naſum eo dicto bilem tibi concivi :
 & ad pugnam ſtetisti mox in pedes .
ANAND. Et verò ſtabo , donec vali-
 dioribus rationibus dejeceris , aut de-
 deris manus , meis ipſe victus . **ANIC.**
 Audi ergo , quām valida ſint cauſæ
 meæ firmamenta .

§. I.

*Morale eſt omnino ingens . Sed niſi à
 voluntate noſtrâ non eſt .*

ID ego , mecumque universa Philoſo-
 phorum ſchola Bonum eſſe statuimus ,
 quod ſui Gratia expetunt omnes , proſe-
 quunturve . Illud autem dicimus Ma-
 lum , quod ſui item cauſa dignum eſt odiō ,
 fugāve . Opponitur enim alterum alte-
 ri : ſæpiusque definiſtur aliud omnino
 nihil eſſe Malum , quām boni Privatio .
 In geminas ambo æquè partes ſcindun-
 tur : ſpectat ad Naturam altera , altera
 ad Mores . Morale malum id eſſe ajo ,

quod honesto , quod rectæ rationi , hoc est,
DEO repugnat. Audi, bone vir , &
memori mente repone effatum , hor-
rendum sanè , & omni potentiùs fulmi-
ne mortalium animos percellens ; sed
quod unum animo altè insculptum ,
omne procul Malum averruncabit, om-
nem accerset beatitatem , etiam post
extremum diem perennaturam. Pe-
ccatum (quod unicum in hac Mali par-
te reponendum est) Deo , summo , &
interminato hominis Bono contrarium
est ; ab illo hominem , atque in vicem
ab homine DEUM avertit. Quo quid
horribiliùs ? quid magis extimescen-
dum ? quid totâ mentis aversione ma-
gis execrandum ? Hoc velut ferali tur-
bine miseri mortales implexi , è felicif-
simo omnis Boni fastigio , in altissi-
mam funestarum calamitatum , & di-
ritatum omnium voraginem præcipi-
tantur. Vulnus id esse , & verò longè
atrocissimum quis nescit ? Et , ô Nu-
minis incredibilem bonitatem ! Nemo
nisi à seipso , & certa sua voluntate la-
ditur. Nullum quippè nisi voluntatis
esse peccatum , unâ Theologorum om-
nium confessione certissimum est. Et
tamen quis crederet , nisi heu ! quoti-
diani casus , & coaceruatæ pereuntium
stra-

strages fidem facerent? quis, inquam, crederet hominem, cui vel tenuissima rationis scintilla luceat, infami rei nefio cuius desiderio abreptum, non aliena vi, aut impulsione, sed sponte sua, telo illio transverberari? Quo voluptatæ uni serviatur, aut dignitatis aliuscujus teneatur inanis bullâ: quo vilis metalli fulgor claudatur arcâ: quo animo præferuidâ irâ, vel alia perturbatione æstuanti fiat satis; negligitur, abjicitur, ridetur cogitatio, & certa spes æterni Boni cum felicitate absolu-tissima tenendi. Ruitur apertis oculis, animo gestienti in horrendum omnis infelicitatis nullo unquam sæculo ex-hauriendæ barathrum. O hominum mentes insanas, furiatas! DEUS, malum averte: cœcis mortalibus lucem affunde.

§. 2.

Naturæ Malum quid sit.

Alteram Malis partem, quam Naturæ diximus appellari posse, eam esse volunt, quæ integrati naturæ, in-columitatique adversatur. Hanc qui negare voluerit, sensibus nostris fidem abrogare videbitur. Nam ferrô sauciari membra, dissecari, laniari, flam-

mis ustulari , & prorsus absumi , aliisque objici tormentis cum immanni dolore , quis ambigat ? Eā causā naturæ ipsius quodam impetu , quando æstuamus irâ , ferimur ad vim illi faciendam , à quo accepisse credimus injuriam : non Bono sanè aliquo affecturi ; Malum quippè meditamur , & volvamus . Nonne flagitiosis hominibus judicū sententiâ pœnæ pro meritis in punitionem infliguntur ? Animantes ipsæ brutæ , si quando efferbuerint , iram effundunt dentibus , unguibus , cornibus , calcibus , & aliis , quæ natura dedit , armis . Quidpiam ergo naturæ contrarium , quod Malum dicitur , illis , & aliis hujuscemodi mille nocendi artibus , quis neget inferri quibus struetam aciem tuam modò mihi opponebas ? ANAND . Opposui sanè : verùm reducam in castra , ut quidem opinor . Nec enim acies instruenda , ubi dimicandum non est ; nec opus est dimicatione , ubi vel pax componitur , vel offertur ultrò victoria . Tuâ ecce id sponte fateris , pro quo viribus omnibus mihi putabam esse contendendum . ANIC . Receptui ne præpropre canito . Sentires esse certandum , nisi dicentem interpellâsses , Nunc prosequor .

CAPUT IV.

Malum esse homini pernego quod Naturæ dicitur: & evinco tribus rationibus.

Prima esto petita ex ultimo hominis fine, ac Bono.

Boni privationem esse Malum si recte statuimus; neque tibi fas esse credidisti dubitare; Malum homini non esse, quod Naturæ appellant, factar is necesse est. Nam opibus, gloriâ, viribus, voluptatibus, formâ, & aliis istiuscmodi frui bonum est, & beatum; si miserum esse vis illis carere. At in Bonis ea reponere, atque in illis tuam hominis constitutere felicitatem non erubesceres? Generosius profectò quondam Alexander. Datio duobus præliis ejus virtutem experto, atque ideo partem regni Tauro tenus, & filiam in matrimonium cum decies centenis talentum millibus pollicente, cum Parmenion dixisset, sc̄, si Alexander esset, usurum eā conditione: respondit Alexander: Et ego uterer, si Parmenion essem. Regem se meminerat, non negotiatorem. Hominem tu, non pecudem te memento: atque adeo gravem contemne, & fœdam corporis molem,

telluris inutile pondus , & portionem
tui viliorem ; quæ etiam ad indigna-
mentem abjicit. Ad majora te natum
non nescis. Potiore tui parte in cœ-
lum , & Divina , unde genus ipsa
ducit , erigere. Animus tibi est non
modò ab omni terrenâ labe secretus ;
atque adeò extra teli jactum , quando-
quidem liber , & arbitrii sui : verùm
etiam Divinæ sapientiæ spirans , & præ-
stantissima imago : atque incredibili
Numinis beneficio supra naturam om-
nem conditam (si quidem eo se dignum
præstiterit munere) evectus ad ipsius
DEI Majestatem suavissimo , ac prorsus
admirabili intelligentiæ , amorisque
complexu æternū stringendam . Tu-
us , Anander , hic finis est . Tuum istud
Bonum , summum , ultimum , omni
beatum felicitate , ab omni parte infi-
nitum . Illô tu non contentus , aliun-
de forsitan aliud adscisces ? Tibine illô
fruenti defore quidpiam ad beatitudinem
absolutam existimas , quod audeas spe-
rare ab aliquo creato , hoc est exiguo ,
levi , incerto , momentaneo , abjecto ,
umbratili , imaginario ? Quod si ne-
gas ; ut certè par est : atque tuum om-
ne Bonum unicus est , & solus DEUS :
Malum tibi profectò nullum esse de-
bet ,

bet, nisi quod D E O contrarium est.
 At neque opibus catere, neque gloriā,
 neque viribus, neque voluptatibus, ne-
 que formā, DEO contrarium est: nisi
 forte stolidus usque eō sit quispiam,
 aut impius, ut istis quisquiliis non pū-
 deat affīngere divinitatem. In meam
 ergo sententiam concedas necesse est:
 fatearisque non esse revera Malum,
 quod Malum paſſim homines appellati-
 tant: aut certe deserta tanta tua digni-
 tate, DEUM neges ultimum tibi finem
 esse præstitutum. ANAND. Vera sunt,
 quæ disputas, Anicete; quis ambigat
 Christianus? E purioribus Evangelicæ
 sapientiæ fontibus hausta sunt, è ſupre-
 mo cœlorum vertice petita. Deorsum
 tamen oculos tantisper flecte; & vide,
 quamdiu degimus in terris mortales,
 quam procul peregrinemur à Domino.
 Terrenum quippè hoc, & imbecille
 corpus, quod corrumpitur, aggravat ani-
 mam: ♂ terrena inhabitatio deprimit
 ſenſum multa cogitantem. Arctissimus
 amicitiæ, fœderisque nexus, qui ani-
 mæ corpus devincit, animam ſurſum,
 quo ſuapte fertur naturā, vetat evola-
 re, corporisque pondere detinet in in-
 ferioribus. Pictum in tabulâ puerum
 aliquando vidisti, cui dextera alata in
 altum

altum emicat , reliquum eodem trāctura corpus , nisi alligata lævæ mola in terram retraheret ? Is est ipse hominis status : quem in ardua , & ipsum cœlum animæ vi contendentem , humo terrena corporis moles affigit . Quod ergò de excelsa illa supremi Boni dignitate philosopharis , ut vero consentaneum sit , velim ego quidem accipi de altera vita ; quando corporis pondere expeditus animus libero volatu sese efferet in altissimum æternæ felicitatis culmen . Sed quamdiu terrena hac mole graves , gradum ægrè promovemus , atque in terra quodammodo proreptamus , qua demum rationum vi nos speras excitandos ad alta , atque ad volatum illum sublimem tollendos ? Si quid persuasum vis , demitte orationem ad inferiora : molliora loquere , & imbecillitati nostræ magis congrua . ANIC . O mentem ignavam , degenerem , & Cynico dignam dente ! Cur enim mihi non liceat , quod olim Diogeni in adolescentem cultu , gestūque parum virili ? Non te pudet , inquit , qui pejus tibi velis , quàm ipsa natura tibi voluit ? Siquidem illa te virum fecit , tu teipsum refingis in fæminam . Hominem te natura , DEUS te

Chri-

te Christianum fecit : cur Christiano,
 cur homine vocem edis indignam ?
 Quid tibi vis , quando vitam alteram
 jubes exspectari ? Ut tibi nimirum fin-
 gas illum pro tua libidine finem , in
 quem per omnes delicias , & volupta-
 tes , quoad vives , feraris : donec tan-
 dem exsaturatus , fessusque deliciando ,
 in sinū Abrahæ suavi effedo , vel (si ma-
 gis placet) Angelorum manibus trans-
 vehare ; tum denique fruiturus illo ,
 qui hominibus præstitutus est , & pro-
 missus , fine . ANAND. Austerus es ,
 Anicete : & meam aliorum severè tra-
 his mentem . Non aliud mihi finem
 statuo . Sed illo frui quando necdum
 licet , miraris , si objectas sentio diffi-
 cultates ; & quā datur , lenio ? ANIC.
 Hominem esse te infitiarer , nō sentires .
 Verūm tuo tibi fine proposito sic tem-
 perari velim , ut Mala esse ne putas ,
 quæ illi nequaquam adversantur : ad-
 versarentur sane , si revera tibi Mala
 essent . ANAND. Naturæ meæ imbe-
 cillitati adversantur ; quæ supremo il-
 lo Bono quamdiu necdum est imbuta ,
 nec ab illo robur accipit , quid mirum ,
 si quæ Mala sentit , Mala esse censeat ?
 ANICET. Dic , Sodes : aliud tibi fi-
 nem statuere quid demum erit , si istud

non est? Námque Mala esse contendis pertinaciter; ergo Bono alicui sunt opposita. Non huic tuo ultimo: quemadmodum nec ipse confici posse speras. Cuipiam ergo alteri, quem tibi finem proposueris: & à quo tuis animi ægritudinibus, quamdiu vivis, lenimentum emendices, quod ab ultimo fine sperare non audeas; quia vel illi deesse, vel in alio esse convenientius arbitreri; aut illum denique non censes ullo tuo labore retinendum. Atqui vel ipsâ morte sacramentum nescio cui dictum obstinavit animo tueri C. Menius Augusti centurio. Cùm enim Antoniano bello, improvisis hostium insidiis circumventus, & ad Antonium Alexandriam perductus, interrogatur, quidnam de eo statui deberet: Jugulari, inquit, me jube: quia nec salutis beneficio, nec mortis supplicio adduci possum, ut aut Cæsaris esse miles desinam, aut tuus esse incipiam. Et tu, Anander, minimo periculo, vel dolore, molestiâve, DEI miles esse desines; incipies esse mundi? Vide, in quam pedetentim mentem abeas: nónne tibi, nónne fini tuo injuriam? ANAND. Eam nihilominus esse multorum audio, qui religione insigni, sapien-

pientiáque prædicti, plúra alia præter summum enumerant Bona. Néque verò summum est, nisi quod inferiora quædam alia comparaveris. ANIC. Ita habet. Verùm abundè sapientium illorum ipse mentem explicâsti, quando inferiora nuncupâsti : ut quæ infra summum posita, veluti via, & gradus sunt, quibus ad supremum enitimus. Quòd nisi nos reverà ducunt, nullo modo Bona sunt : sunt verò, quæcumque eò ducunt. Quo enim modo aliter ?

CAPUT V.

Ab hac sententiâ non abhorruerunt, imò illam stabiliérunt priscae Philosophiae decreta.

Mœroris, ac diffidentiæ nebulam nescio quam fronti tuæ videre videor obductam ; cùm serenitatem à disputatione mea sperarem. Rem audi à vulgi quidem sensu, judicióque abhorrentem ; validis tamen obfirmatam rationibus. Anceps ergo pendet animus ; cùm nec mihi repugnare valeras, nec tamen audeas solus desertis cæteris in meam unius venire sententiam. Ne dubita : non solitariam, sed plurimis tritam ingredior viam. Quod ne

ne nescias ; quos sequar authores, profero. Et ne sublimi mentis volatu nimis ardua petentem sequi pigeat ; eorum agmen produco , qui exclusâ purioris è cœlo lucis facultâ, solius naturæ ductu verum investigârunt.

§. I.

*Veteres, quamquam à Christo alienos,
censeo audiendos : Cui suum illis non
leve momentum addico.*

ANANDER. Imperatoris parum periti munus exequeris , Anicete , qui imbellem , & nullius roboris turbam in primâ collocas acie. Quam enim speras facturos impressionem , qui promissâ barbâ , pallio , sententiarum gravitate , reconditam sapientiam venditârunt , solo Philosophiæ nomine contenti ; ipsos verò mores ; vitâmque neglexerunt ? Eâ quippè causâ (sic prodidit Apostolus ,) *Tradidit illos Deus in reprobum sensum* , ut faciant ea , quæ non conveniunt ; repletos omni iniquitate , malitia , fornicatione , avaritia , nequitia , plenos invidiâ , homicidio , contentione , dolo , malignitate . Quæ , & alia , quæ sequuntur plura , sanè pudenda , non de Philosophorum vulgo , vel fæce dicta accipio . Ipsos Principes , Socratem ,

tem , Platonem , Aristotelem , & cum illis quos non alios ? turpissimis flagitiis contaminatos affirmant probatæ fideli scriptores. I nunc , Anicete ; & in causæ tuæ subsidium heroas illos advoca : viæque duces præstitue illos ipsos , à quibus aliquando cùm ridetur Diogenes , quod per gymnasium cancrorum ad instar retrogradus ambularet : ambulando quidem ego pedes , inquit ; at mores certè vos retrò fertis vivendo. Vitâ nimirum rece-debant ab eo longissimè , in quod intentos habere oculos , animosque gravi oratione profitebantur. ANICET. Quâ causâ non audiendum putas eorum testimonium ; eâdem illâ vel maxime proferendum arbitror. Si cœci , si perdimi homines , quod verum est , agnoscunt , & digito commonstrant ; non agnoscere , amplective non erubescet is , qui sibi mentis aciem integrum , & cœlesti luce perspicacem esse gloriatur ? Quis enim viator unquam in trivio Mercurium viam intento digito commonstrantem neglexit , eâ tantummodo ratione , quod è marmore statua loco hæreret immobilis ? Quos duces meritò dignamur , indices plenumque juverit audire. Monstrare pos-

possunt virtutem, quam prosequi numquam, & attingere vel potuerunt, vel voluerunt. Virtus tamen illa est: illa est ad virtutem via, quam sœpè dígito notant. Ideò vel inire hanc, vel illam amplecti dedignaberis, quia ignavâ manu indicatur? Quis doceat, quid interest, si fana doceat? Numquâmne è vili lagenâ, luteoque figuli opere generosum vinum promit, atque in mensam infertur regiam? Veterum ergo istorum dicta, non tantum, sed & facta, quamdiu rationi, honestoque fuerint consentanea, respicere ne dubita: proponam non raro, nec illubenter totâ hac disputatione. Niî quippe mentem omnino stupor obligârit, ad ardua suscitabunt: & fortè validius aliquando, quam à viris sanctis. Non quod pluris æstimentur: absit illud à mentibus Christianis. Sed ipsa Sanctorum veneratio spem aliquam, nescio quo pacto subinde præcidit imitationis: quasi nostris viribus perficere haberemus, quod non nisi Divinis aggressi sunt ipsi. Illud vero, quod vel perspexerint, vel fuerint feliciter executi homines illi, quos à naturâ cœcos, & imbecilles novimus, quis non audiat è Christianis? vel non superare, quem

quem non pudeat? Ipse Moses, quamquam DEI consuetudine clarus, ethni ci hominis soceri sui consilium audivit, amplexus est. Hos ergo & nos audiamus.

§. 2.

*Summum hominis Bonum esse Virtutem
statuerunt plurimi Philosophorum,
et optimi.*

Quæ Bona esse, itemve Mala judi-
caverint in antiquitate sapientes,
haud ægrè quidem colliges; si quem
illi ipsi constituerint hominis finem,
ac Bonum ultimum, ostendero. At
vero id non ita liquet. Celeberrima
fuit inter veteres disceptatio, variis va-
ria sentientibus. Vide, quam paucis
versibus proponat Lactantius diversita-
tem. (a) Epicurus summum Bonum in
voluptate animi censet esse. Aristippus
in voluptate corporis. Calliophon, et Di-
nomachus honestatem cum voluptate jun-
xerunt. Diodorus in privatione dolorum
summum Bonum posuit: Hieronymus in
non dolendo. Peripatetici autem in Bonis
animi, aut corporis, aut fortunæ. He-
rilli summum Bonum esse in scientia: Ze-
nonis cum natura congruenter vivere.

Qui-

(a) Lib. 5. Divin. instit. c. 7.

Quidam Stoicorum virtutem sequi. Et
sextatores suos habuere singuli. Sed
longè plurimi, si non oratione, certè
vitâ, moribûsque, in longè diversissi-
ma abierunt. Cæcutientibus istam da-
veniam. Quid? Nónne plurimi non
è vulgo Christiani, sed quibus cùm &
minimè obscurum à naturâ ingenii lu-
men, & clarior è cœlo vel fidei, vel
philosophiæ sacratioris fax alluceat;
non multò aliter, quàm si abdomini
curando natura illos procreâisset; ad
unum corpus suaviter demulcendum
omnes suas cogitationes, curas, stu-
dia, votáque referunt. De illo uno lo-
quuntur, & si minùs aslequuntur;
quiritantur, animos dejiciunt, nec ad
rem ullam se dignam attollunt? Con-
trà ubi quid obtinent, nónne exultant,
gaudio triumphant, & velut in ulti-
mâ, quam indipisci, vel sperare pos-
funt, felicitate conquiescunt? In te-
nebris ergo nati veteres illi, quid mi-
rum, si quæ per caliginem videre se
crediderunt, amplexati deerrârunt?
Hoc potius mirare mecum; omnes
paucis exceptis, omnes, quicumque
sapientiæ nomen aliquod adepti sunt,
quanquam verbis visi pugnare sint, re-
tamen ipsâ consensisse: & solâ prælu-
cente

cente naturā, universam in unico Honesto constituerent hominis felicitatem. Stoicorum enim Virtutem quis nesciat idem esse cum Calliophonis, & Dinomachi Honestate? Nec ab illâ recte separaveris Zenonis cum Naturâ convenientiam. Alias quâ fiducia Tullius affirmat, (a) Naturâ duce errari nullo pacto posse? Aut quomodo hor-tatur, Naturam, optimam ducem, tamquam DEUM sequi, eique parere? Nimirum Clemente Alexandrino testante, (b) Stoici secundum Naturam vive-re finem esse decreverunt, DEI nomen in Naturæ decorè commutantes. Quam ve-ro profert animi Voluptatem Epicurus, ex animi Bonis velle esse conceptam, ne dubita: nam aliter nihil ab Aristip-po diversum afferret. At in animi Bonis nihil recte præter Virtutem reponi, fatis constat. Diodori Privationem dolorum, aut Indolentiam Hieronymi si non animis, duro certè marmorī, stipitibusque adscribas necesse est. At rebus inanimis beatitatem affingere, male sanum esset. Ergo animus, sed non aliter, quam masculâ Virtute præditus, eâ potest præcellere felicitate. Peripateticis denique et si placeant

B

etiam

(a) 1. de Leg. idem de Senect. (b) 2. Strom.

etiam corporis, fortunæque Bona; animo tamen, ac Virtuti primas deferunt. Diversus ab his omnibus abit Herillus: & Scientiam professus, quamquam de Virtute sileat, quod tamen proposito meo satiis sit, corporis, ac fortunæ Bonis nullum omnino locum relinquit. Solus itaque, & inglorius cum fæculenta sua corporis Voluptate relinquitur Aristippus. Cæteris ergo sapientiæ senatoribus in unam generosè sententiam conspirantibus, decretum hoc facit Aristoteles. (a) *Non in voluptuosa vita rationibus, sed in Virtuti consentaneis actionibus, officiisque constituenda est Beatitudo.* Subscribit Tullius: (b) *Beatus esse sine Virtute nemo potest.* Appendit Seneca sigillum: (c) *Summum Bonum est, quod Honestum est: & quod magis mirere, solum Bonum est, quod Honestum est.* Quia cui infederit homini Virtus, (d) *nihil vacare patitur loci: totum animum tenet, desiderium omnium tollit: sola satiis est.* *Omnium enim Bonorum vis, & origo ipsa est.*

§. 3.

(a) 10. Ethic. cap. 6. (b) De Nativ. Diot.
 (c) Ep. 31. (d) Idem ep. 74.

§. 3.

Ex eâ sententiâ conficitur, non esse, quæ vulgus opinatur, *Bona*.

Quandoquidem illud fuerit de Summo Bono Philosophorum judicium, si ex me quæsieris, Anander, quis ex eorum mente dicendus sit *Beatus*? respondebo equidem, quod alteri cuidam *Anaxagoras*: (a) *Nemo ex iis, quos tu felices existimas. Gloriam quippe, divitias, honores, voluptates, potentiam, amicitias, & alia hujusmodi niugamenta in Bonis reponis, & eis homines fieri beatos existimas, cùm nihil habeant cum Virtute commune.* At certè *Bona non sunt*, (inquit Tullius) (b) *quaे quis habeat, ♂ miserrimus esse potest. Imò est necessariò miserrimus. Nam in Voluptatis regno non potest Virtus consistere. Et quo major est Voluptas, eo magis mentem à suâ sede, ♂ statu dimovet.* Num aliquid ibi speres Boni, ubi impedit consilium voluptas rationi inimica; ac mentis, ut ita dicam, perstringit oculos; nec habet ullum cum Virtute commercium? Nec unius id vitium est voluptatis. Eamdem contrarerunt labem, quæcumque alia appell-

las Bona. *Genus*, (inquit idem Ciceron.) *forma*, *vires*, *opes*, *divitiæ*, cæteraque quæ fortuna dat, aut extrinsecus, aut corpori, non habent in se veram laudem, quæ deberi uni soli Virtuti putatur.

(a) Itaque pro suâ sapientiâ judicabat Crates, (b) quando interrogatus de Archelao Perdiccæ filio, qui tum fortissimus habebatur, num cum Beatum judicaret? Nescio, inquit; numquam enim cum eo collocutus sum. Subiecti: eâdem operâ de Rege Persarum dubitare potes, an sit beatus. Quidni, inquit, cùm nesciam, quâm sit doctus, aut quâm vir Bonus? Solam nimirum Virtutem Bonum arbitrabatur; sine quâ, etsi quis affueret puerilibus illis insipientium mortalium crepundiis, non magis esset Beatus, quâm lucere sine luce, aut sine calore potest quis calere. Verùm age, illam Virtutis majestatem, ac Beatitudinem missam faciamus: nihil pro te eviceris. Nam primum id Tullii pronuntiatum statuo, quod à nemine convelli potest: (c) *Beatus esse in maximarum rerum timore nemo potest.* At timore quis vacabit, qui mortalia cætera tenui pendere filo non nesciet? *Maximæ cuique fortuna*

mini-

(a) 2. de Orat. (b) Plato in Gorgia. (c) 2. de fin.

minime credendum, affirmat Livius.(a) Ejus incertitudinem ignorat nemo. *Neminem eò provexit*, (ait Seneca) (b) *ut non tantum minaretur illi, quantum promiserat*. Imò teste Plinio: (c) *Quæ facit magna gaudia, nisi ex Matis? aut quæ Mala immensa, nisi ex ingentibus Bonis?* Nulla est profectò solida felicitas, quam contumelia ulla vitæ rumpit: aut ne rumpat, non immeritò semper timetur. (d)

*Nemo tam Divos habuit faventes,
Craftinum ut possit sibi polliceri.*

Atqui nisi stabili, & fixo, & permanente Bono Beatus esse nemo potest. Nihil enim inveterascere, nihil extingui, nihil cadere debet eorum, quæ in vitâ beatâ consistunt. Nam qui timebit, ne quid ex his desperdat, Beatus esse non poterit. Ita Cicero. (e) Quid Seneca? (f) *Divitias putas aurum, & argentum? Ludibria sunt fortunæ, que inter jocum ipsis Dominis veniunt.* Omnis enim blandientis fortunæ speciosus de periculo nitor est: & sine causa fluit, & sine ratione destituit. Nulla certa felicitas est. Addo, quod majus etiam sit. Nulla omnino felicitas est, stabilia quamquam

B 3

per-

(a) L. 30. (b) Ep. 24. (c) L. 7. hist. (d) Sen. Thyest. (e) Cic. 5. Tus. (f) De sens. orat.

permaneant, fixaque fortunæ illa munera. Ita vult Apulejus. (a) Nihil quidquam homini tam prosperum divinus datum est, quin & admixtum sit aliquid difficultatis. Ut etiam in amplissimâ quaque letitiatâ subsit quæpiam vel parva querimonia, conjugatione quâdam mellis, & fellis. Id ipsum Vates canebat. (b)

Nulla est sincera voluptas:

Sollicitumque aliquid letis intervenit.

Et voluptatem Tullius affirmabat (c) sapientia relinquere causam penitendi, quam recordandi. Sed cruentum quod Seneca. (d) Quietiora tempora pauperes habuimus: aurato Capitolio bella civilia gessumus. In nunc: & si mihi non credis, Damoclem audiaversantem & diadema, & purpuram, & mensam, certamque felicitatem regiam: metu strieti ferri impendentis.

§. 4.

*Neque censenda, quæ vulgo habentur
Mala.*

Existimo tibi jam esse probatum, Anander, quod sermonis initio visum est adeò insolens. Non esse rece-
ra

(a) Florid. l. 2. (b) Ovid. 7, Met. (c) 2. de fin.

(d) de sent. orat.

ta, quæ vulgus appellat Mala. Si Bona quippe non sunt, quæ Bona credit, & paßim vocat imperita multitudo; Malum profecto non est eorum privato. Nec enim Virtuti hæc aduersatur, quemadmodum nec illa pro Virtute faciunt. At jam demonstravimus, & fortiter affirmat Cicero: (a) Quod reatum, & honestum, & cum Virtute est, id solum opinor Bonum. Ex quo conficies cum Vegetio, (b) Plius aduersam, quam prosperam prodesse fortunam: hæc enim fallit, illa instituit: atque adeo magis est cum Virtute conjuncta. Sapienter ergo vates ille. (c)

*Non possidentem multa vocaveris
Rectè Beatum. Rectius occupat
Nomen Beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti,
Durāmque callet pauperiem pati,
Pejusque letbo flagitium timet.*

Neque minus fortiter audet Cicero: (d) Tibi persuade, inquit; præter culpam, & peccatum homini accidere nihil posse, quod sit terribile, aut pertimescendum. Ad formicam te denique remitto. Non pigrum illa tantum, sed & insipientem fertur aliquando docuisse.

B 4

Tur-

(a) I. Par. (b) Vegetius l.3. (c) Her. l. 4. Ode 9.
(d) L. s. fam. Epist. ult.

Turgebat vanitate musca , & formicam despiciens. Vide: inquit, quanto te antecellam. Tu humi perpetuas reptas , magno labore tenuem victimum quæris , cava terrarum , & expertia solis antra inhabitas. Sed alis in sublime feror ego, regiâ accipior mensâ , anno , gemmâque nobili , eumdem cum rege cibum sumo , incumbo purpuræ. At insanam castigans felicitatem formica : Etiam hoc addidisses , inquit ; invisam te , ac omnibus odiosam esse : contra te flabella , venenâque parari. Dixisses & illud : modicam anni partem tenere tuam illam felicitatem : frigora necem ferre. Solidum ego annum vivo : ac æstate quidem mediocri exerceor labore : hieme verò quietam , & securam traduco vitam. Sapiens commentum : quod te , Anander, inspicere doceat rerum humanarum non corticem , verùm ut latentia sub modico melle aconita ; ita & suaves ex aculeatis spinis enascentes rosas. Id evinci veterum sapientum placitis cum clare demonstraverim ; etiam atque etiam vide, ut ne illis te ostendas imbecilliorem , quos vitiorum turpissimam serviisse servitutem declamitâsti.

ANANDER. Ruborem in fronte sentio :

nec

nec valeo eluctari. Vinci me video ;
 & pudet illâ manu. Aliam adde vim,
Anicete. **ANIC.** Faxo lubens. Æneæ
 magni dextrâ cades , quando Philosof-
 phis victoriæ gloriam ægrè relinquis :
 nec ego concessam velim.

CAPUT VI.

*Idem sancti Patres , & nihil frequen-
 tius docent, aut fortius tuentur.*

Generosos produco heroas , invicta
 belli fulmina : qui ingenii acie, ju-
 dicio acri , longo usu , rerûmque cogni-
 tione præstantes , hòc certius præluce-
 re possunt, quò morum integritate , vi-
 tæq; sanctimonîa illustres , clariùs è
 cœlo lumen promeriti sunt. Et quan-
 do Ecclesiæ veluti Patres veneramur ,
 facilis audies , si rectæ rationi non ob-
 surdueris. Occurrebant agmine facto
 propemodum innumeri : (à quo enim
 decantatum non est nostrum hoc argu-
 mentum ?) sed quoniam aciem con-
 fundit potiùs , quàm firmat copiarum
 magnitudo ; paucos adscivi , qui ma-
 gis ad manum fuerunt : geminâmq; que
 instruxi aciem. Prior breviter per-
 stringet , quam tibi fingis rerum huma-
 narum beatitudinem , ejus vanitate

demonstratâ. Evincet altera miserum non esse illum, qui hac caruerit; atque adeo non lædi, qui spoliabitur.

§. I.

Vanam ajunt Patres, quam homines felicitatem adstruunt.

Felicitas esse non potest, ubi certitudo non est. Nam *in omni adversitate fortunæ infelicissimum infortunii genus est*, (ait Boëtius) aliquando fuisse felicem. Ergo infelicissimus es revera, si felix es. (a) *Nihil quippe est in rebus humanis naturâ stabile, nihil æquabile, nihil in eodem statu permanens.* Sed omnia quâdam veluti rotâ circumvolvuntur, diversas sâpe diebus singulis, imò horis vicissitudines afferente. Ita Nazianzenus. Eóque fit, ut nulla res sit longa mortaliū : omnisque felicitas sâculi, dum tenetur, amittitur : (b) inquit Augustinus. Quî aliter fiat ? *Instabilibus ventis,*) (c) subdit idem Nazianzenus) & navigiis mare secantis vestigiis, & fallacibus noctis insomniis, (quorum brevis est gracia) & his, quae per ludum in arena fingunt pueri, magis fidendum est, quam præsentis hominum felicitati. Quæ sanè vel eo

ma-

(a) Nazianzenus de pauperibus amandū. (b) In Isaiam l. 7. (c) Nazianz. ibidem.

maximè formidanda est, quod Rabano teste *sapius in altum quis attollitur*, ut ruens fortius conquaſſetur. Nam ſa-pe videtur fortuna in principio proſpera nuntiare; ſed medium, & finem replet multis adverſitatibus, & concludit, nullâ ſpe regreſſus relictâ. Si dubitas, age, Proſpero reſponde. Ubi exercituum du-ctores? Ubi ſatrapæ, & tyrañi? Nónne omnia pulvis? Nónne omnia favilla? Nónne in paucis verſibus eorum vitæ me-moria eſt? Reſpice ſepulchra; & vide quiſ ſervus, quiſ Dominus, quiſ pauper, quiſ di-ves. Difcerne, ſi potes, viuetum à rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Una hæc omnibus eſt meta; ſed non uno omnes curriculo attingunt: multo duriore, qui per proſpera feruntur. Quād multis amaritudinibus (exclamat Boëtius) humanae felicitatis dulcedo reſpersa eſt! (a) Plus audet Auguſtinus: Proſpera bujus mundiasperitatem habent veram, jucunditatem falſam; certum do-lorem, incertam voluptatem; durum labo-rem, timidam quietem; rem plenam mi-ſeriae, ſpem beatitudinis inanem. Quād illa procul à beatitudine ſunt! Quantis im-mersa malis! O ſapientem Bernar-dum! Beatus (ait,) qui poſt illa non abiit, que

posseſſa onerant, amata inquinant, amissa
cruciant: addo numquam satiant. Au-
thor est Ambroſius: *Nihil prodigæ fa-
tis est voluptati.* Semper famem pati-
tur ſui, quæ alimentis perpetuis nescit im-
pleri. (a) Et illud eſt, quod hominibus
malè ſanis appetitionem irritat, ut ple-
nis venenum, & mortem hauriant fau-
cibus. Chryſotomo meo crede. (b)
Noverca Virtutis proſperitas, (inquit,) *bajulis ſuis ſic applaudit, ut noceat:* ♂
infelici ſuccedu ſic fortunatis obſequitur,
ut in fine perniciem operetur: convivis ſuis
ab initio propinans dulcia; ♂ *cum ine-
briati fuerint, lethale virus miſcat.* Et
quod deterius eſt; quod ſpecie ſui clareſcit
amplius, ed *ſtupentibus oculis densiorem*
infundit caliginem. Ab eo mentis stu-
pore, ac cæcitate quid Malii non ti-
meas? Docet Lactantius. (c) *Ex rerum*
proſperitate luxuria; *ex luxuria verò vi-
tia omnia:* ſic impietas adverſus Deum
naſcitur. Tam facili, ac fæcundæ tan-
torum Malorum origini quis non inge-
miſcat? Periculum extimescit Augu-
ſtinus. (d) *Magnæ virtutis eſt* (ait) *cum*
*felicitate luctari, ne illiciat, ne corrum-
pat,*

(a) Ambr. in Luc. 6. (b) L. 1. de Curiſium nugis.
(c) L. 2. c. 2. divin. iſtit. (d) De verbo Domini.
ni. cap. 13.

pat, ne ipsa subvertat felicitas. Magnæ, inquam, virtutis cum felicitate luctari: magnæ felicitatis à felicitate non vinci. Bonum ergo non est: contrà Malum sit ingens necesse est, quo expediri magna sit felicitas. Quicumque ambiget, Sanctis Patribus, non his modò, sed profectò universis bellum denuntiabit.

§. 2.

Quæ Mala vulgus appellat, esse Patres infitantur.

Aggredior, quæ adversa nuncupantur: nónne oratione supervacaneâ? Quid enim supereft disceptandum, si verè non sunt, quæ appellabas Bona? Nam eadem est de Malis differendi ratio. Verùm quando rationibus agere propositum non est, sed testimoniis; placet his adhærere. Primum en ab Augustino telum. (a) Nullus servus Christi sine tribulatione est. Si putas te non habere persecutiones, nondum cœpisti esse Christianus. Ex quo hoc confice: Vel Christianum esse miserum est: vel miserum non est persecutiones habere. Auxilio est Ambrosius; & ait: (b) Paupertas, fames, dolor, (cætera ejusmodi eodem habenda sunt

B 7

(loco)

(a) In serm. (b) De Offic.

Pauca igitur profero testimonia , quod
& brevitati studeam , vel unicum satis
sit ad faciendam fidem. Gemono Chri-
stus exemplo , quidquid adhuc disce-
ptatum est inter nos explicavit , & om-
nem diremit controversiam. *Homo*
quidam erat dives , (inquit) *& indu-*
batur purpurā , *& byſſo* ; *& epulabatur*
quotidie splendide. (a) *Beatum hunc tu* ,
opinor , appellabis ; omnibus quippe
circumfluit Bonis. At Christus aliter :
Mortuus est dives , *& sepultus est in in-*
forno. Ista sint bona , quae ad finem du-
cunt calamitosissimum ? Bona sint , quae
tam funesto clauduntur fine ? Aliud ex
adverso en spectaculum ! *Erat quidam*
mendicūs nomine Lazarus , qui jacebat
ad januam ejus , ulceribus plenus ; cu-
piens saturari de micis , quae cadebant de
mensa divitis. Sed & canes veniebant ,
& lingebant ulcera ejus. Infelicissimum
hunc , & Malis oppressum deplorabis :
quem ecce Christus beatum prædicat.
Factum est , ut moreretur mendicus , &
portaretur ab Angelis in sinum Abrabæ.
Dicere tu ausis Mala , quae viam ster-
nunt ad felicitatem ? quae immortali
beantur gloriæ ? Docuit alias idem
DEUS : *Beati estis* , cùm maledixerint vo-
bis

(a) *Luca xvi.* (b) *Matth. 5.*

bis homines, & persecuti, vos fuerint, &
dixerint omne Malum aduersum vos men-
tientes. Nónne & Jacobus? aut Jaco-
bi calamo rursum DEUS? (a) Beatus
vir, qui suffert tentatioem. Itémque Pe-
tri: (b) Si exprobramini in nomine Chri-
sti, beati eritis: quoniam quod est ho-
noris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est
eius Spiritus, super vos requiescat. Ut
non admodum mirere scriptum à Ja-
cobo: (c) Omne gaudium existimat,
fratres mei, cum in varias tentationes in-
cideritis. Audet & Paulus: (d) Pla-
ceo mibi in infirmitatibus meis, & in
contumeliis, in necessitatibus, in persecu-
tionibus, in angustiis pro Christo. Glo-
riāmque etiam ex illis ambitiosè cap-
tat. Pro me nibil gloriabor, (ait,) nisi
in infirmitatibus meis. Quibus tu,
Anander, lacrymis sortem tuam de-
plorares, si te deprehenderes (e) in la-
boribus plurimis, in carceribus abundan-
tiis, in plagiis supra modum, in mortibus
frequenter, & pluribus aliis, quæ longâ
serie Paulus (invidiam verbo tolle) fa-
stidosè jactabundus enumerat? insi-
pientem quippè factum se fatetur. At
certè constanter: (f) Libenter, (in-
quit)

(a) Jac. i. (b) I. Pet. 4. (c) Jas. 1. (d) 2. Cor. 12.
(e) Ibid. c. 12. (f) Ibid. c. 12.

quit) gloriabor in infirmitatibus meis : nec tantum ; sed & aliorum. (a) Gloriamur pro vobis in Ecclesiis Dei , pro patientia vestra in omnibus persecutionibus , & tribulationibus , quas sustinetis. Miraris istius consilii rationem ? Apostolum audi . (b) Videmus JESUM per passionem mortis gloriam , & honore coronatum. Eoque compulsus exemplo inclamat. (c) Mibi autem absit gloriari , nisi in cruce Domini nostri J E S U Christi , per quem mihi mundus crucifixus est , & ego mundo. Quid verò glorioſius ? (d) Verbum enim Crucis pereuntibus quidem ſtutitia est : iis autem , qui salvi fiunt , id est nobis . Dei virtus est. Clariora potes optare , Anander , testimonia ? potes & certiora ? Nec enim hominum illa ſunt pronuntiata , ſed oracula ſacrosanctorum librorum , hoc eft Divinæ ipſius ſapientiæ. Quā ergo ratiocinatione contra mundi vefaniam uſus eft aliquando Bernardus , eadem modō te convincam. Vel æternam D E I ſapientiā hallucinati neceſſe eft , quando Crucem , & adverſa reponit in Bonis , in Malis verò proſpera : vel certè Anandrum ; ſi quidem contrarium ſentit. At æterna DEI non potest hallucinari

(a) 2. Thess. 2. (b) Hebr. 2. (c) Galat. 6. (d) 1. Cor. 3.

niari sapientia; impiūmque hoc esset vel suspicari. Hallucinari ergo turpiter Anandrum certè relinquitur, si in contrariâ obstinaverit animo hærere sententiâ. Non facies; scio: melior tibi mens est. Si verò mecum transis in DEI sententiam: si Patrum authoritati cedis: si Philosophorum: si rectæ rationi das manus: concludo denique, etiam te judice, nequaquam illum *lædi*, qui Adversis (quandoquidem Mala non sint) quamquam gravibus, multisque premitur, ac pulsatur,

CAPUT VIII.

Demus licet, Mala esse, quæ jam confutavi: hanc tamen secundam accipe Rationem, quæ videoas, si cum atrocissimis illa Malis contuleris, quæ peccatum invebit; & Mala nihilominus pergis appellare, te non sapere.

Alterum en cudo telum; sed mollius, infirmitatique tuæ magis aptatum. Evici jam & rationis certitudine, & gravissimorum testimoniorum pondere, revera non esse, quæ passim existimantur Mala. Verum quia experientiae, sensuique repugna-

re contendis, age, fac esse Mala: perme licet. Quid triumphas? Quamdam Boni rationem certè non inanem concedere mox cogeris: coget, inquam, Philosophus: (a) *Levius Malum*, (ait,) *speciem quamdam fert Boni*, si cum majore conferatur. Idque probat in hunc modum. *Est minus Malum potius, quam majus eligendum.* Quod autem eligendum est, id Bonum est: quod potius eligendum est, id etiam majus Bonum. Hæc Aristoteles. Nec sapient, qui contrà sapere sibi videbitur. Consuluisse quondam reip. creditus est C. Fabricius; qui Cornelium Rufinum virum sordidum, ac rapacem cum nosset, eoque nomine odiasset, juvit tamen in petitione Consulatus; quod in bello sciret animo ingentem, manuque promptum; cæteros verò competitores videret desides, ac ignavos, eo potissimum tempore, quo bellum imminere putabatur. Miranti factum Rufino, dum officiosè gratias ageret, Fabricius dixisse fertur: *Noli mirari, Rufine; rapinis enim imminui malo, quam vendi.* Sapienter. Fabricium enim de patriâ quam optimè meritum nemo inficiabitur. Spoliari quippè esto,

Ma-

(a) *Arist. Ethic. l. 5, c. 3.*

Malum sit : at certè melius est, potiusque optandum, quàm cladem accipere. Non aliter Malum quodcumque, quantumvis grave, & molestum amplectendum tamen esse, tenendumque præ omni peccato, recta ratio, primâque Christianæ fidei elementa demonstrant. Finge tibi quantumcumque lubuerit funestissimi casus atrocitatem ; si cum peccati fœditate comparaveris, tam levis est illa, & exigua, ut Mali nomen minimè mereatur. Animum adverte. In ardente pyram ligatus pedes, & manus si quis injiciatur ; & aculeo fortè levi spina summam cutem perstringat : putas mediis in ardoribus miserum illum hominem de spinâ cogitaturum ? Eādem ratione Malum quodcumque asperum sit licet, contra naturam, & perpeſſu difficile, non pluris æstimabis, quàm leviculam spinæ punctionem ; si quàm atrox, horrenda, & intolerabis peccati fit immanitas, probè noveris. ANANDER. Vel ignorantia hominum summa est, Anicete ; vel sine modo peccati gravitatem supra verum extollis. Quotus enim quisque mortalium ita sentit ? Ut vitium totis animis detestari debeant : animi certè, corporis-

que

que contentione nihilo minore vitant,
& aversantur, quæ existimant Mala.
ANICET. Verum est jam indè ab olim,
eritque in ætates deinde omnes: *Stul-*
torum infinitus est numerus. Stultitiam
ut digito tangas, faciam. Dic, age.
Non vidisti colonos metu hostium pa-
triam populantium, paternos agros,
larésque deferere, & in tutiota se re-
cipere? **ANANDER.** Heu! quod hodie
frequentius est, aut tristius spectacu-
lum? Silvescunt, & in horridam solitu-
dinem abeunt agri, colonis in oppida
compulsis. **ANICET.** Inter hos illum tu
sapere contendes, qui cùm universam
domum optimâ instructam supellectili,
horrea frugibus completa, generosos
in stabulis equos, armenta, greges, in
prædam Vulcano cedere siccis oculis
spectâasset; ut primùm clausa vili ca-
veâ rediit in memoriam Philomela,
cantu suo herum oblectare solita, tum
demum illacrymari cœpit, & aviculæ
jacturam deplorare? Insipientem pro-
cul dubio pronuntiabis. Nam et si au-
tes oblectet suavis Philomelæ cantus,
magnarum tamen opum possessionem
quis non pluris æstimet? Et si alteru-
trius jacturam facere quis compellere-
tur, an non suo relictus arbitrio, tan-

tâ animi promptitudine , lætitiaque
 eligeret , ac complecteretur levem
 unius aviculæ jacturam , quantâ solli-
 citudine formidaret , & aversaretur
 fortunarum omnium eversionem ? Sed
 heu ! quâm in alia quotidie studia abi-
 mus ! Eâdem nimirum mentis hebe-
 tudine , quâ Honorium fuisse narrant .
 Hic post longam urbis obsidionem , cùm
 intraret ad illum aliquando , qui nun-
 tiaret periisse Romam ; aversâ cogita-
 tione à tantâ reginæ urbium clade , in-
 gemuit morti caniculæ , quam Romam
 appellabat ; & mortuam credebat nun-
 tiari . Si stolidè hic in luctuosâ claris-
 simæ urbis calamitate , caniculæ unius
 jacturam deplorâsse habitus est : quo-
 modo nos sapientes haberi volumus ,
 quando vel morbi alicuius molestias ,
 vel Zoyli cuiuspiam malignum dê-
 tem , vel adversum quemcumque
 alium casum flebiliter lugemus ; & im-
 manem illam atrocissimorum malo-
 rum acerbitatem , quæ à peccato no-
 stris capitibus imminet , negligimus ,
 ridemus ? Honestior , sed admirabilis
 animi contentio fuit in Archimede :
 quem urbis captæ dissonus clamor , hor-
 ribilisque tumultus Mathematicis ne-
 quiit abstrahere commentationibus :

&

& ferrum toto prius corpore recepit
quam captas intelligeret Syracusas.
Rem sanè mirandam ! At qui fit , ut
minus quotidie miremur illorum dor-
mitiantiam dicam ? an insaniam ? qui-
bus nullæ sunt satis lacrymæ diluendis
adversis fortunæ casibus : vulnera in-
terim infliguntur animis lethalia , non
dico sinè ullo doloris sensu , vel aliquâ
falte trepidatione ; verum cum ani-
mi voluptate , exultationeque incredi-
bili ? Si tamen verum amas : pone bar-
barorum quamcumque inhumanita-
tem : accerse Busiridis , Phalaridis ,
aut , ejuscemodi alicujus monstrij im-
manitatem : objice omnem fævissima-
rum ferarum , & (si placet) ipsorum
inferorum rabiem ; in unum omnia
conjice cumulum : non pluris faciet
æquus rerum æstimator , quam depi-
ctam in tabulâ flammam ; si quident
cum Malis , quæ à peccato inferuntur ,
composueris. ANANDER. Pauci sunt ,
Anicete , apud quos fidem inveniet tua
hæc argumentatio ; nisi peccati gravi-
tatem , non omnibus usque eò perspe-
ctam , clarius demonstraveris. ANIC.
Ita tecum sentio : & aggredior. Suum
porrò operæ meæ pretium non vile exi-
stimo futurum ; non eò dumtaxat .
quod

quod aduersis evincam te nequaquam lædi : sed maximè quod contra omnem peccati atrocitatem tibi pectus armabo. Nihil enim ad fugam , ac detestationem magis impellet, quam ejus agnita turpitudo , malignitasque.

CAPUT IX.

Peccati gravitatem ex eo doceo , quod acerbissimo id Deus odio persequatur.

§. I.

Ipsius Dei natura peccatum aduersatur.

UT noctis , ac tenebrarum horrorem nullus animo facilè concipiet , qui lucis , aut diei jubar , pulchritudinem oculis numquam perceperit : ita Malum intelligentiâ nemo rectè per vadet , qui perspectam Boni non habuerit naturam : nec enim aliter aptius definimus , quam Boni privationem . Boni porro partes cum variæ sint , aliis aliæ nobiliores , ac magis necessariæ : Mali quoque partes alias aliis deteriores , & magis fugiendas esse , pro Boni ratione , cui opponuntur , fateamur necesse est . At Bonum id , quod ultimum homini finem esse statuimus , cum summum sit , infinitum , & ab omni

parte beatum : illâ profecto, quæ opponit
tur, Malo parte quid vilius ? quid de-
teriorius ? quid horribilis esse possit ?
Nam sanè à Bono recedere tam Malum
est, quam ipsum est Bonum ; infini-
tum prorsus, si ab infinito. Cùm verò
Bonum illud intelligentiâ sit præditum,
ut se summum Bonum cognoscit, &
pariter amat amore, qui potest esse,
summo : oppositum etiam Malum in-
telligit ; simûlque odio persequitur,
quam potest, maximo ; idque illâ na-
turæ suæ vi, & necessitate, ut non ma-
gis possit Malum non odisse, quam se
Bonum non amare : neque odium id
ponetur citius, quam ipsa DEI natura.
O horrendam æternitatem ! Admirabi-
le odii pertinaciam significare vi-
sus est Annibal, cùm incusso in terram
pede, suscitatoque pulvere, tunc Car-
thaginem inter Romamque fore finem
belli dixit, cùm alterutra pars in mo-
dum pulveris esset redacta. Sperari
certè potuit aliquis ea lege finis. Ve-
rūm æterni Numinis æterna est ira.
Quā quid infelicius in mentem homini
venire potest ? Tolerabile est, nec so-
latio caret, tyranni odium : laus quip-
pè est, Malis displicere ; sed cle-
mentissimi principis, index est certissi-
mus

mus perversitatis tuæ. Sed perversitatem non temporariam, non quodammodo externam, hoc est, pravâ consuetudine, vel male factis menti impressam, sed insitam à naturâ; vel potius ipsam naturam seipsâ ipsius summi Boni naturæ adversantem esse, hoc denique Malorum est omnium postremum: bellum est funestissimum, implacabile, nullâ unquam pace componendum, nullis aliquando quieturum induciis, mutuis semper odiis arsurum; odiis heu exitialibus! Quid acerbius? Ejus amore prohiberi, qui naturâ suâ Bonum est, & tuum Bonum? Inimicitias cum illo capitales exercere, non impetu aliquo animi mox transituro, sed vi naturæ immutabili? Quid? illius odium pati, cuius natura Bonitas? cuius amor tua sit unica felicitas? cuius odium infelicitas tibi sit ultima? O execrandam, & supra omne aliud abominandam peccati malignitatem! ANANDER. Validissimum equidem existimo, Anicet e, argumentum istud, quo peccati detestanda probari possit malitia. Verùm ut ambigit nemmo, supremam cælitum in eo sitam esse felicitatem, ut claro mentis oculo DEUM intueantur, fruanturve illo;

fateri pariter mecum plerique omnes coguntur , quod professus est disertè Paulus ; (a) *Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS iis, qui diligunt illum.* Tam enim ab æternæ beatitatis , quâm ab ipsius DEI cognitione procul absimus : neque magis quantum adversari DEO Malum sit intelligimus . quâm animo complectimur , quantum sit DEUS Bonum. Quare si non fortius , at sanè clarius ostendas velim aliâ ratione , quanto peccatum DEUS odio persequatur. ANICETUS. Sciebam non omnibus perspicuam fore rationem istam : suum tamen apud illos pondus habituram , quibus clarior esset , pro hujus vitæ modulo , Divinæ Bonitatis cognitio , & amor. Alia jam profero non adeò recondita ; sed quæ mentem quamcumque , si non omnino hebetem , percellant.

§. 2.

Severissime Lucifer unius peccati sensus punitur.

Quem quis amat , ei bene vult , & facit , si facultas est , pro amoris modo : si magnus est , multum ; pa- rum ,

rum, si parvus. Contrà malè vult, & facit, qui odit; & hic pro viribus, odiique gravitate, & levitate. Graviter igitur odit DEUS, quando plectit graviter. Et cùm omnis justitiæ, & æquitatis idem norma sit, & Bonitas infinita; peccati atrocitatem quantum esse necesse est, quod odit acerbissimè, simulque justissimè D E U S, & castigat? Quæris, quām acerbè? Audi quod omnium primum fuerit peccatum: quibüsve castigetur suppliciis. Omnium primus peccatum cum flagitiis sociis perpetravit, & in orbem vix jam conditum infelicibus auspiciis invexit Lucifer. Is, inquam, ille Lucifer, Angelorum omnino omnium, atque adeò cæterarum rerum conditum longè nobilissimus: ad quem Dei imperio Sancti Patres Prophetam ita ferunt locutum: *Tu signaculum similitudinis; plenus sapientiæ, & perfectus decore. In deliciis Paradisi D E I fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* (a) His ornatum gemmis describere solent: naturæ in primis puritate, sine corporis admixtione ullâ, immortalitate, ingenii subtilitate, ac perspicacia, libertate, rerum creatarum insigni-

fateri pariter mecum plerique omnes coguntur , quod professus est disertè Paulus ; (a) *Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS iis, qui diligunt illum.* Tam enim ab æternæ beatitatis , quæ ab ipsis DEI cognitione procul absimus : neque magis quantum adversari DEO Malum sit intelligimus . quæ ab animo complectimur, quantum sit DEUS Bonum. Quare si non fortius , at sanè clarius ostendas velim aliâ ratione , quanto peccatum DEUS odio persequatur. ANICETUS. Sciebam non omnibus perspicuam fore rationem istam : suum tamen apud illos pondus habituram , quibus clarior esset , pro hujus vitæ modulo , Divinæ Bonitatis cognitio , & amor. Alia jam profero non adeò recondita ; sed quæ mentem quamcumque , si non omnino hebetem , percellant.

§. 2.

Severissime Lucifer unius peccati sensu punitur.

Quem quis amat , ei bene vult , & facit , si facultas est , pro amoris modo : si magnus est , multum ; pa-

(a) *I. Cor. 2.*

rum, si parvus. Contrà malè vult, & facit, qui odit ; & hic pro viribus, odiisque gravitate, & levitate. Graviter igitur odit DEUS, quando plectit graviter. Et cùm omnis justitiæ, & æquitatis idem norma sit, & Bonitas infinita ; peccati atrocitatem quantum esse necesse est, quod odit acerbissimè, simûlque justissimè DEUS, & castigat ? Quæris, quām acerbè ? Audi quod omnium primum fuerit peccatum : quibüsve castigetur suppliciis. Omnium primus peccatum cum flagitiis sociis perpetravit, & in orbem vix jam conditum infelicibus auspiciis invexit Lucifer. Is, inquam, ille Lucifer, Angelorum omnino omnium, atque adeò cæterarum rerum conditarum longè nobilissimus : ad quem Dei imperio Sancti Patres Prophetam ita ferunt locutum : *Tu signaculum similitudinis ; plenus sapientia, & perfectus decor.* In deliciis Paradisi DEI fuisti. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* (a) His ornatum gemmis describere solent : naturæ in primis puritate, sine corporis admixtione ullâ, immortalitate, ingenii subtilitate, ac perspicacia, libertate, rerum creatarum insigni-

cognitione , viribus, ac potentia , sa-
nitate , inhabitatione cœli empyrei ,
aptitudine ad felicitatem æternam , ac
illius denique consequendæ spe certa.
Præstantissimam , & hoc ornatu deco-
ram naturæ suæ imaginem non amarit
DEUS , qui postea *vidit cuncta , quæ fe-
cerat ;* *& erant valde bona :* atque adeò
amarit ? Amarit dubio procul : & ed
magis , quod bona magis. Sed ecce
(Malum !) peccat Lucifer. Quid illo
fiet ? Perduellis est ; nemo negat : &
sœdæ rebellionis reus. Verum ad ve-
niam parentem piissimum invitant om-
nia. Opus est DEI perfectissimum , &
ad ejus imaginem sic effectum, ut om-
nes sapientiae , potentiaeque thesauros
DEUS in eo collocasse videatur. In-
gens est reorum multitudo : sati s erit
nocentissimum quemque , aut etiam
vilissimum pœnas dare : vel (quod Ro-
manis solempne fuit quandoque) de-
cimare totam multitudinem. Primæ
hæc est noxa ; & eorum, apud quos
nullum esset ullius animadversionis
exemplum , quo deterrei potuissent ;
nulla supplicii comminatio. Offensam
multis obsequiis expiare possunt ; Di-
vinamque gloriam cœlo , ac terrâ pro-
pagare , & per omnem immortalitatem

præ-

prædicare : contrà si pro meritis ple-
ctantur , in desperationem acti Divina
æquè ac humana miscebunt , & omnia
sùsque déque vertent. Denique cogi-
tata dumtaxat , & mente concepta de-
fectio , in actum non exiit. Quam er-
go spem his rationibus faciet clemen-
tissimus DEUS ? Nullam omnino. Pec-
cårunt. Ergo nulla mora : rudentibus
inferni detraetos , in Tartarum tradidit
cruciandos. (a) Omni spoliatos orna-
mento , naturæque suæ relictos , è cœ-
lo tamquam fulgur præcipites misit
in Stagnum ignis , ♂ *sulphuris* , (b) in
ignem æternum , in æternam despera-
tionem. O execrandam peccati mali-
tiam , quæ tantam piissimo parenti iram
accedit ! quæ nobilissimos genios hor-
rendâ metamorphosi in monstra con-
vertit teterima !

§. 3.

*Peccans item Adāmus punitur ; & cum
eo posteritas omnis.*

DE protoplasti peccato quid subjun-
gam ? Heu insuaves arboris infeli-
cis fructus ! Quantam malorum silvam
pomum unum propagavit ! Edi ve-
tuerat DEUS. Istam obsequentiam

C 4

de-

(a) *a. Petri 2.* (b) *Apocal. 19.*

debitæ sibi venerationis arrham exigebat. Eva serpentis fraude seducta, Evæ viðus illecebris Adam, aspexerunt, sumpserunt in manus, & heu orexim infamem ! ederunt. Hominem DEUS condiderat ad sui similitudinem, Divinis exornârat muneribus, deliciarum hortum dederat excendum, beatæ destinabat immortalitati. Et funestam ecce statim à peccato mutationem ! Ingenitâ spoliat integritate, perduellem pronuntiat, exterminat paradiſo, cœli portas occludit, omni calamitatum genere vitam obruit : *Maledicta terra in opere tuo : (inquit) in laboribus comedes ex eâ cunctis diebus vitæ tuæ : spinas, & tribulos germinabit tibi : comedes herbas terræ. In sudore vultûs tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de quâ sumptus es : quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* (a) Quibus paucis breviter adumbrat Malorum Iliadem, non in unius modò Adami, verum in universæ posteritatis incubitaram cervices. Uni quippè peccato primi parentis adscribendum, quidquid animo patimur ; densam in primis intelligentiæ caliginem, hebetudinemque, ac ignorantem rerum non modò naturalium, quæ vitæ agendæ

Non parum incommodat, sed & ultimi
finis, rationumq;, quibus ad illum con-
tendatur ; insignem in rebus nostris
cœcitatem, alienis verò nimiam per-
spicaciam, & sollicitudinem superva-
caneam. In voluntate quid philau-
tiam malorum innumerabilium scatu-
riginem commemorem ? Quid ægritu-
dinem animi, torporēmque in turpi-
tudinis fugā , prosecutione honesti ?
quid incredibilem defleam contem-
ptum eorum, quæ ad vitam sanctè tra-
ducendam pertinent : contrà sollicitu-
dinem rerum humanarum indefessam ?
Quid pronitatem ad Malum ? quid in-
constantiam , & sui statū fastidium
deplorem ? Nónne corpus ipsum cir-
cumstant densæ miserarium phalan-
ges ?

Nova februm

*Terris incubuit cohors,
Semotique prius tarda necessitas
Lethi, corripuit gradum.*

Auditores suos enecant solâ morbo-
rum enumcratione Medici Tum me-
tus mortis, & vitæ brevitas ipsâ sæpè
molestior morte est. Abrumpo, ne
longitudine fastidium creem. Num
leviora, quæ ab externo infestant Ma-
la, è cœlo, aëre, aquis, terrâ ? Quid

fortunam adversantem , quid anima-
lia vel importuna , vel sœvientia ;
quid hominum odia , quid inferorum
invidiam , & insidias ? Nónne , quod
omnium caput est , DEUM ipsum sen-
timus infensum , & implacabilem ?
Nascimur enim omnes filii iræ. Etiam-
num post tot ætates , & quamdiu stabit
orbis , æternūm DEI complexu arce-
buntur , quicumque vel solius origina-
lis peccati morientur rei . Atqui alien-
nâ tantummodo peccârunt voluntate .
An & nostrâ nos , qui tamen tot ple-
& timur hodie Malis , & obruimur ?
Quódque amplius mirere : Sanguinem ,
& vitam in peccati expiationem Patri
Christus obtulit : pretium profecto mil-
le mundis par , & multo nobilius . Pec-
catum Filii gratiâ dimisit Pater ; non
omne tamen extinxit odium : Voluit
graves illas , quas paucis perfrinxí ,
pœnas dare posteritatem omnem . Ma-
li quantum est in peccato !

§. 4.

*Divini odii magnitudinem è diluvio
vides.*

Putas fortassis unum illud odio fui-
se peccatum , quod universum ge-
nus hominum in capite suo perpetra-
vit ;

vit ; & à Joanne Baptista Peccatum
 mundi (a) appellatum est ? Ne fallere :
 omnem peccati cuiuscumque turpitu-
 dinem abominatur DEUS : Similiter
 enim odio sunt DEO impius, & impietas
 ejus : (b) horrendisque punit DEUS
 suppliciis : nonnunquam adē severè,
 ut cum nocentibus involvantur inno-
 centes ; & in omnem animadvertisat
 mortalium multitudinem. Quis non
 cohorreat ? Is ipse, qui dixit aliquan-
 do : *Ego non parcam Ninive civitati ma-
 gnæ, in quâ sunt plus quam centum vi-
 ginti millia hominum, qui nesciunt, quid
 sit inter dexteram, & sinistram suam.*
 & jumenta multa ? (c) Is, inquam, non
 ita sentit semper, & loquitur. Discri-
 men illud quandoque nescit odii acer-
 bitas. Exemplum habeto à prima
 mundi ætate. *DEUM pœnituit, quod
 hominem fecisset in terrâ. Et tactus dolore
 cordis intrinsecus : (anthropo-
 pathos hæc dicta odii declarant acerbitas.)* Delebo, (inquit,) hominem,
 quem creavi, atque ut opus manuum
 mearum dilexi, à facie terræ, ab homi-
 ne usque ad animantia, à reptili usque ad
 volucres cœli. Pœnitet enim me fecisse eos.
 (d) Nec tamē omnes peccârant. Et erant

C 6

plus

(a) Joan. 1. (b) Sapient. 14. (c) Jona 4. (d) Gen. 6.

plus quam centum viginti millia hominum, qui nescirent, quid esset inter dexteram & sinistram: & universa cuiusque generis animalium multitudo. Quorum omnium ultimo discrimine, justissimum peccati odium minime sedatur. Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, (inquit Dominus) ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitae est subter cælum. Universa, quæ in terrâ sunt, consumentur. Animum vides infensum? Irâ æstuat: nec quietem fert: rursumque ait: Ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: & delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terræ. (a) Nónne iram acuere credas comminationibus toties repetitis? Nihil illi satîs est præ odii magnitudine. Neque severius dixit, quam executus est. Audi horrendum ultionis apparatus. Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ; & cataractæ cœli apertæ sunt: & facta est pluvia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Quid deinde? heu stragem funestam! Aquæ prævaluerunt nimis super terram: opertique sunt omnes montes excelſi sub universo cœlo. Quindecim cubitis altior fuit

(a) Gen. 7.

fuit aqua super montes, quos operuerat. Consumptaque est omnis caro, quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum; omniumque reptilium, quæ reptant super terram, universi homines, & cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terrâ, mortua sunt. Et delevit omnem substantiam, quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus, tam reptile, quam volucres cœli: & deleta sunt de terrâ. (a) Severitatem istam Numinis quis levem arbitretur? Nam ut mortis ipsum genus, & in aquis suffocationem à non-nullis sustineri quotidie contingat: generalis ista, & toti communis hominum generi clades, quantum incusserit horrorem! Fœda primùm tempestas, & nubes aquarum copiâ numquam antehac auditâ gravidæ incubuerunt terris. Intumuerunt fontes, rivuli, lacus, flumina, maria; & stagnantes latè aquas per loca primùm humilia infudere tristi strage segetum, arbustorum, pecudum, hominum, domorum. Qui primum malum effugisse crediderunt, se cum suis receperunt in turres, editiorâve loca. Sed & isthuc insecura ultrix unda liberos, conjuges, parentes, in mutuo conspectu, tristi spectaculo, inter lugubres

(a) Ibidem.

complorationes , & sævam desperationem , suis involvit fluctibus , & in interitum quodammodo retraxit . Qui in montes evascent , diurniorem mortem quæsiisse visi sunt , ut post spectatam suorum calamitatem sanè luctuosam , post vitata quandoque pericula , post spei , metusque alternantes vi-ces , denique in diram prolapso desparationem , & ultimâ conclusi necessitate , miserabili perierint interitu.

A N A N D E R. At si verum ais , & peccati odio tantam hominibus inflxit D E U S calamitatem , cur eadem passi sunt , quos fuisset innocentis comprebant saltem ætas tenella ? Cur animantes omnes supplicium idem sustulerunt ?

A N I C E T U S. Ut augent ista supplicii gravitatem , sic odium demonstrant acerbius . Parentum in liberos amorem quis nescit ? Quibus quam benevolunt , tam indolent eorum Malis . Novumne in conspectu parentum , in eorum pœnam , cruciari liberos , truncari ? D E I non satîs odio fuit , ab hominibus peccatorum pœnas repetere . Parum fuit una mors . Tot inferre placuit , quot caros habebant ; ut toties morerentur , quoties illorum aliquis . Sed & animantium interitu crescit supplicii

plicii magnitudo. Exterminantur, quæ ad hominem pertinebant : ejus quippè gratiâ conditæ sunt. Imò & ad Numinis contumeliam illis abusi sunt homines. Itaque ferre noluit DEUS, quod vel homini servierat ad peccatum, vel ad reum aliquâ ratione pertinebat. Infensissimum agnoscis odium?

§. 5.

Acerbitatem odii Pentapolite senserunt.

Alio rursum exemplo ostendam nihil mitiore. Nam esto ; pauciores illo plectantur ; sed Malum cervicibus incubans p̄ædocti non sunt ; & de repente obruti sunt , ut de placando DEO , de veniâ rogandâ cogitare non potuerint : cùm totos centum annos venturam prædixisset cladem alteram Noëmus : & lentè sic incubuit , ut suum pœnitentiæ fuerit spatium ; & vero simile putem , plurimos salutem esse consecutos. Pentapolitarum jam excidium propono. Quo quid horribilis ? In altâ pace, securi, nil nisi libidinem suam cogitabant, pudendam illam, infamem, execrandam ; & quæ ex illo nomen retinet : Ecce Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrah sul phur.

phur, & ignem à Domino de cælo : & subvertit civitates has, & omnem circœ regionem, universos habitatores urbium, & cuncta terræ videntia. (a) Hortendum ! Igneâ pluviâ domus, plateæ, vici, universæ civitates, agri, & plana campo-rum inundantur exuruntur, in cinerem abeunt. Nullum pereuntibus hominibus in aquis, nullum in ferro, nullum in fugâ, nullum in turribus, nullum in antris perfugium. Ignis, & sulphuris fluvius omnia pervadit, labefacit, consumit. O peccati nequitiam ! ô pestem ! Pestem isto Numinis odio dignissimam ! Quis aliud vel suspicetur ? Ipse qui fecit decretum Deus, ratum vult : & superesse ultionis perenne monumentum, ut ne aliquando nescias, impietatem odio esse Numini. Manet, & ad mundi extremum manebit triste istius odii testimonium. Beata olim illa regio, & quasi paradisus Domini : sævum nunc bidental : fœdus hodie lacus est immenso ambitu, specie maris ; ubi læta quondam frugibus arva. Sapore corruptior, gravitate odoris accolis pestifer, pisces, aut suetas aquis volucres non patitur : situ piger, vento non impellitur : superjecta, incertum unde, ut solido feruntur :

tur: periti, imperitique nandi, perinde attolluntur. Teter exhalans odoris sulphurei fumus omnem latè torret regionem ad iter mediæ diei; vimque tollit frugiferam. Cuncta sponte edita, aut manu fata, sive herbâ tenus, aut flore, seu solitam in speciem adolevere, atra, & inania velut in cinerem vanescunt. Poma, racemique in speciem maturi, spectantibus etiam edendi cupiditatem proritant: sed favillæ fuliginem intrinsecùs, & renascentes in fructibus cineres ambitio tantum extimæ cutis cōhibet; quæ vel levi tactu pressa fumum exhalat, & abit in vagum pulverem. His suum DEUS odium immortale testatur.

§. 6.

Æternūm inferi sentient.

EJUS ut nullum nobis Syria monum-
mentum servet: quid aliud quoti-
die nobis inclamat urbium, provin-
ciarum, regnum eversiones? Nam
in peccatorum pœnam fieri nega, si
DEO providentiam negas. At certè
non potes, si quidem es Christianus.
Sed ista prætervehor. Vocat unum
aliud, de quo fas ambigere non sit.
Impium quippè sit, inferorum crucia-
tus

tus non fateri. Sed isthīc aliūdne quidpiam à peccato cruciat DEUS? Omnipotens nihil. At, quod horrendis adeò cruciat tormentis, capitali sanè odio persequatur necesse est. Quām horrendis? ais. Nec qui senserit, eloqui posset. Summo carere Bono. Malum esse summum voluimus ostendere; neque hilum profecimus. Omnem quippè superat dicendi facultatem. Summum tamen esse Malum constat. Sed age: animum ad ea mecum adverte, quæ si cum priori comparaveris, nullius esse momenti rectè judices: acerbissima nihilominus, & revera horribilia sunt, si quæcumque mortales subinde cruciant, pensemus: Primum igitur hoc omnium accipe. Carcerem menti propone situ à cœlo, quām potest, longissimè dissitum; immensum illum, sed pro capiendâ multitudine angustissimum: graveolentem ex afflato, & nido corporeum crematorum, corruptissimique ipsius loci fœditate: tenebris præterea plusquam Cimmeriis, aut Ægyptiacis horrendum. Ingentis ad instar fornacis illum tibi finge, quam flatus Domini, sicut torrens sulphuris succedit (a) edacissimis flammis. Hic rudentibus inferni velut in fasces col-

ligati omnes improbi, dæmones æquè ac homines, ceu præda tormentis ob-
jiciuntur acerbissimis. Quæ quidem pari oratione quis explicet? Aliquod, sed rude veluti simulacrum hoc esto. Eorum omnium, quæ in Bonis quo-
modocumque mortales reponunt, apud inferos prorsus nihil esse, habeto cer-
tum. Contrà quidquid asperum, per-
pessu difficile, contra naturam, hor-
rendum, (omnia recense, perpende
singula) ab inferis non abest. Atque ut, quod est, capias; hæc evanidis dumtaxat coloribus adumbrata præ il-
lis existima: & acerbiora deinde alia esse, apud te statuito, quæ nec cogi-
tatione possis assequi. Cui horrorem ista vel audita non incutiant? Denique quid, cùm æternitatem addideris? Il-
lam voluerunt significatam anulo, vel serpente in orbem acto, & caudam mordente: ut ibi nimirum veluti prin-
cipium invenias; ubi sperabas finem. Non aliter infelibus istis reis

Redit labor actus in orbem.

Et post mille sæculorum myriadas, velut in limine stabunt æternitatis. ANANDER. Vel saxa Caucasea con-
cutiat ista cogitatio. Verùm, dic So-
des. Justum esse DEUM nolim am-
bigē-

bigere. Quā tamen fit, ut merito manus non sit istud ejus odium, quo æternis peccatum tormentis persequitur; illud, inquam, peccatum, quod minimo temporis momento libandam tantummodo præbuerit voluptatulam?

ANICETUS. Quæstionem illam, & affines plerasque alias movet, & suo more sapienter solvit Augustinus. Ad eum adi; quando id alienius est à meo instituto: dicéatque factum esse Malo dignum æterno, qui hoc in se peremit Bonum, quod esse posset æternum. (a) Et cùm æternum videatur peccatum ipsum, (nec enim apud inferos est resipiscientia) quid mirum si nulla sit redemptio? Si perstat in sententiâ judex, quamdiu perstat in flagitio reus? Æternum verò perstat, quandoquidem vivat æternum. Nam in illis diebus quærent homines mortem, & non invenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. (b) Malum intelligis? Quod enim bellum gravius, & amarius cogitari potest, (ait Augustinus) quam ubi voluntas sic adversa est passioni, & passio volutati, ut nullius earum victoriâ tales inimicitiae finiantur? & ubi sic confligit cum ipsâ naturâ corporis vis doloris, ut neutrum alteri cedat?

(a) L. 24. de Civ. Dei à c. XI. ad finem. (b) Apoc. 9.

cedat ? Hic enim quando contingit iste conflictus , aut dolor vincit , & sensum mors adimit : aut natura perdurans vincit , & dolorem sanitas tollit. Ibi autem & dolor permanet , ut affligat ; & natura perdurat , ut sentiat : quia utrumque ideo non deficit , ne pæna deficiat. Quæ ut non ignorant reprobī , in furorem desperatione meliorum , aut finis aliquujus , & in rabiem aguntur. Heu ! quam horrendum est incidere in manus DEI viventis ! (a) Torpetis ad ista homines ? At quis poterit habitare de vobis cum igne devorante ? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis ? (b) ANANDER. Quis non cohorreat totus ad ejuscemodi cogitationes ? Utinam hominum animis obversarentur frequentius ! Nihil equidem ad excutiendum torporem omnem validius existimo. Ad odium , fugamve peccati quid magis impellat , quam Numinis odium adeo implacabile ? Istius vero magnitudinem odii quo clarius probabis argumento , quam illâ cruciatuum apud inferos acerbissimum immortalitate ?

§. 7.

*Atrocissima pro alieno criminis Christus
ipse sensit.*

ANICETUS. Superioribus argumentis quamquam grave sit, ut fateris, momentum : addo ecce aliud, non paulò gravius, Ut meritò dicere possis triarios denique in pugnam à me produci. ANANDER. Quid ais ? Horrendis illis inferorum tormentis quidam habes terribilis ? ANICETUS. Habeo, quo peccati turpitudinem, indignatèmque; & infensum illi Numen clariùs demonstrem. Animum adverte. Otiosus per forum ambulabam aliquando: ex adverso magnâ hominum deducente turbâ juvenem video. At quem juvenem ? Formâ, si quis unquam alias, honestissimâ. Obtutu hærcbam in illum fixo. Estimatoribus ad me unus : Quid miraris ? ait. Oris honestatem flocci facies, si quem animi ornatum è quotidianâ ejus consuetudine comperimus, tibi datum fuerit intueri. Liberalibus omnibus artibus, & eximiâ humanorum, simul & Divinorum cognitione imbutus est, ut qui maximè. Ad omnem verò honesti normam mentem sic excoluit, ut vir-

virtutum omnium specimen absolutissimum cæteris omnibus ad imitationem proponi possit. Sed inter ista quod ames maximè; eâ est humanitate, ac modestiâ, ut gravis nemini, nemini umquam malè fecerit; universis verò bene velle semper, ac facere posuerit in deliciis. Miram narras amabilitatem, inquam ego, & si taceas, facile mihi colligere sit ex illorum vultu, & alacritate, qui comitantur; & ad omnem ejus parati nutum, excipere mandata videntur, & exequi magnâ animi voluptate. Qui verò illi sunt? Contrà ille: Clientes paterni sunt, & primi quique proceres; qui cùm filio regni habenas à patre rege creditas sciant, imperia dictantis accipiunt. Verùm ecce dum visa, simul & audita miror attonitus; non aliter ac irruente miluo pavidæ columbæ, diffugiunt primores universi, tristes, ut quidem vultu præferebant, & quasi graviore compulsi imperio. Tum in forum irrumunt sævi lictores, nil nisi immanitatem spirantes; & infanis clamoribus in juvenem insiliunt, catenis collum, & manus onerant, constringuntque; pugnis, fustibus caput contundunt; auream vellicant cæsariem; faciem illam

Iam speciosam , sed jam verberibus li-
vidam , sputis polluant foetidissimis.
Nihil sat̄is est barbaris tortoribus. Mi-
serandum juvenem in terram abji-
ciunt , conculcant , raptant , flagiti-
sum inclamat furciferum. Hic ego
mei non sat̄is compos : Conjuratio-
nem ! conjurationem ! exclamo : Nul-
lusne perdita ista capita coērceat , & ul-
ciscatur ? Sed ille , qui mecum cœpe-
rat : Siste mentis ardorem , vir optime.
Nihil nisi de regis imperio fit. Con-
trā : Tu regem dicas ? Immanem ap-
pella tyrannum , & s̄ævam belluam
qui honestissimum juvenem , & inno-
centissimum (si vera quidem narrabas)
tam indignis perdit modis. Ille : Ve-
ra narrabam ; & (meministin ?) pa-
trem dicebam. Novo ictu feruit ani-
mum istius memoria. Et : Pater ille
est ? Barbarus est , qui s̄ævit in filium
Moderatiūs ; inquit ille : & probrofi
abstineto verbis. Is revera rex est cle-
mentissimus : amantissimus filii pate-
est , si quis unquam alias. Quid igi-
tur , inquam in illum animadvertis se
veritate tantā ? Peccatum est : ait
Infero ego : Peccatum enorme sit , ne-
cessē est ; quod in talem filium sic in-
flammet parentem. Ad juvenem in-
tere

terea reflexeram oculos : & ð dirum spectaculum ! Post incredibiles vexationes , innocentissimi juvenis corpus universum ad pedes ab ipso vertice flagris conciderant inhumani carnifices , & capiti sertum vepribus , acutissimisque spinis horrens impresserant. Non sedabatur impia sitis fuso sanguine. Postquam efferatam in caput innocens pro suâ libidine rabiem effudissent ; inter perditissimos latrones , ceu furciferum infamem , aut perduellem nefarium egerunt in crucem , & extremis doloribus animam tandem expresse- runt. Ego quâ voce per lacrymas , & suspiria potui , conversus ad illum ejus servulum : Heu bone vir ! quâ facinoris atrocitate parentem (ut ais) piissimum ad istud supplicium de se sumendum talis filius concitavit ? Ad hæc ille : graviter fallere : non meministi dictum à me , humanissimum juvenem amâsse semper mereri quâm optimè de quocunque mortalium ? Quomodo unum parentem tibi persuadebis esse neglectum ? Tanta semper fuit inter utrumque vis amoris mutui , ut idem semper velle , nolle semper idem fuerit ambobus . Duos unus amor adeò con junxit , ut unum jam appellare possis ,

Iam speciosam , sed jam verberibus li-
vidam , sputis polluunt fœtidissimis.
Nihil sat̄s est barbaris tortoribus. Mi-
serandum juvenem in terram abji-
ciunt , conculcant , raptant , flagitio-
sum inclamant furciferum. Hic ego
mei non sat̄s compos : Conjuratio-
nem ! conjurationem ! exclamo : Nul-
lūsne perdita ista capita coērceat , & ul-
ciscatur ? Sed ille , qui mecum cœpe-
rat : Siste mentis ardorem , vir optime.
Nihil nisi de regis imperio fit. Con-
trā : Tu regem dicis ? Immanem ap-
pella tyrannum , & s̄evain belluam ;
qui honestissimum juvenem , & inno-
centissimum (si vera quidem narrabas)
tam indignis perdit modis. Ille : Ve-
ra narrabam ; & (meministin ?) pa-
trem dicebam. Novo iictu feriit ani-
mum istius memoria. Et : Pater ille
est ? Barbarus est , qui s̄avit in filium.
Moderatiūs ; inquit ille : & probrofis
abstineto verbis. Is revera rex est cle-
mentissimus : amantissimus filii pater
est , si quis unquam alius. Quid igi-
tur , inquam in illum animadvertisit se-
veritate tantā ? Peccatum est : ait.
Infero ego : Peccatum enorme sit , ne-
cessē est ; quod in talem filium sic in-
flammet parentem. Ad juvenem in-
tereza

terea reflexeram oculos : & ò dirum spectaculum ! Post incredibiles vexationes , innocentissimi juvenis corpus universum ad pedes ab ipso vertice flagris conciderant inhumani carnifices , & capiti fertum vepribus , acutissimisque spinis horrens impresserant. Non sedabatur impia sitis fuso sanguine. Postquam efferatam in caput innocens pro suâ libidine rabiem effudissent ; inter perditissimos latrones , ceu furciferum infamem , aut perduellem nefarium egerunt in crucem , & extremis doloribus animam tandem expresse- runt. Ego quâ voce per lacrymas , & suspiria potui , conversus ad illum ejus servulum : Heu bone vir ! quâ facinoris atrocitate parentem (ut ais) piiissimum ad istud supplicium de se sumendum talis filius concitavit ? Ad hæc ille : graviter fallere : non meministi dictum à me , humanissimum juvenem amâsse semper mereri quâm optimè de quocunque mortalium ? Quomodo unum parentem tibi persuadebis esse neglectum ? Tanta semper fuit inter utrumque vis amoris mutui , ut idem semper velle , nolle semper idem fuerit ambobus . Duos unus amor adeò con junxit , ut unum jam appellare possis ,

& debeas. Tum ego: Sphingis ambages tu mihi proponis: cur non un & Oedipodem? Nil peccavit filius: inquis. Castigavit tamen pater; cum arctissimus duos jungeret amoris nexus. Gordium istum solve nodum. Ille verò: expedio. Peccavit, non filius, (nec sanè potuit) sed unum è domesticis mancipium. Pœnas reperere statuerat parens. Et cum miseratus filius, servuli noxam in humeros suos sustulisset, eò convertit iram parentis, ubi peccatum reperit: nil penitus habens reūsne, an innocens: mancipiumne, an filius: propriumne esset piaculum, an alienum. Certum quippe erat, pro justissimâ suâ offensione, meritis noxam expiare suppliciis. Quorsum ambages istæ, capis, Anander? A N A N D E R. Dudum intelligo suppliciorum diritatem, quæ pro virissimis mancipiis, ut irato Patri faciat sati, Christus Dominus sustinere voluit. Mortalium o cæcitatem! qui neque cruciatuum, nec odii istius acerbitate deterriti, à peccando revocari possunt! Audiendus esset Christus ipse: si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fieri? Peccatum alienâ perpetratum nequitia si DEUS in Filio tantâ severitate casti-

castigat, nec ab itâ ullo filii amore revocatur; quanta est hominis illius infania, qui nefariâ turpissimorum flagitorum turpitudine coopertus, impunitatem nihilominus, aut indulgentiam, haud aliter, quam debitam sibi pollicetur? ANICETUS. Ex his ergo relinquifatere, acerbissimum profectò esse odium, quo DEUS in peccatum fertur: atque adeò peccatò, quod necessariò, & solùm, & tam atrociter DEUS odit, horribilius homini malum esse nullum quandoquidem nullum illi sit optabilius bonum; quam à DEO amari.

CAPUT X.

Idem aliter demonstro. Immania homini Mala peccatum creat.

ALIA profero Malorum argumenta; quæ si à peccato, ceu à fonte quodam infaustissimo, scaturire certum est, (nemini verò fas est ambigere) sanus ille profectò non est, qui in malorum illud infelicissimum se volens barathrum immittit. In classes partiri placet, ne mentem obruat multitudo. Prima sit longè pessima, quamquam non Malorum: Bona quippè in eâ responso; illa nimirum, quibus à pecca-

to spoliatur : sed eò dolendâ magis
jacturâ , quod meliora sunt ipsa. Nisi
fortè male feriatus aliquis insanire
cum Gallieno malit. Hic enim tur-
pissimum omnis luxuriæ mancipium ,
cùm Romanum imperium teneret , ita
libidini serviebat , ut cætera posthabe-
ret. Cùm enim (inquit Trebellius Pol-
lio) ei nuntiatum esset , Aegyptum descivisse , dixisse fertur : Quid i finē lino Aegy-
ptio esse non possumus ? Cum autem vasta-
tam Asiam , & elementorum concussioni-
bus , & Scytharum incurSIONIBUS comperis-
set : Quid i inquit , fine Aphronitris esse
non possumus ? Perditâ Galliâ arrisisse ,
& dixisse perhibetur : Non finē trabeatis
fagis tuta responsio est ? ANANDER.
Heu ! multos hæc ætas habet Gallie-
nos ; eoque etiam turpiores , quod ter-
râ cœlum præstantius est. Unas hic
opes , ille delicias , aliis dignitates ,
aut aliud pro libidine suâ , & præterea
nihil cogitat. Obligat hoc unicum :
fastidio cætera sunt ; & obtundis , si de-
vitâ quondam in cœlis agendâ ; aut de
viâ , quâ istuc tenditur , vel verbulum.
Age , Anicete , ne dubita. Meliorem
mihi D E U S ad accipienda dicta men-
tem indidit : utinam & ad agen-
dum bene !

§. I.

*Multis hominem, & immensis Bonis
peccatum spoliat.*

ANICETUS. Primum, & omnium maximè post perpetratum peccatum ab amicitiâ Numinis homo repellitur. *Quæ enim participatio justitiae cùm iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras?* *Quæ autem conventio Christi ad Belial?* (a) Quod profectò tantum esse Malum quis non intelligit, quantum ipse DEUS Bonum est? Sed eò maximè; quod cum inter pares amicitiam esse debere contendat Philosphus; eò se nostri causâ DEUS demiserit, aut extulerit eò homulim, ut arctissimus veræ amicitiæ nexus inter nos & se posset intercedere. Nam si interrogatus Zeno: quid revera esset amicus, rectè respondit: Alter ego: quid magius arbitraris, quam alterum esse te DEUM? De hac nimirum amicitiâ verè, etsi falsò de aliâ quâcumque, dixisset Socrates: nullam esse possessiōnem pretiosorem verò, bonoque amicō: nec aliunde plūs fructus, aut voluntatis capi. Itaque præpostorè facere multos, qui pecuniæ despendium gravius ferunt, quam amici jacturam:

(a) a. Csr. 6.

quique beneficium se perdidisse clamant gratis collocatum, quum eō sibi conciliārint amicum quovis lucro potiorem. Ita de bono amico sensit, & locutus est homo ethnicus: quomodo negligis, Christiane? Quomodo cætera non postponis humana? jacturam ejus quomodo levem existimas?

Proxima amicitiae est providentia Numinis verè paterna: quâ pusillum Θ magnum ipse fecit; Θ equaliter illa cura est de omnibus. (a) Quo fretus canebat rex vates: Dominus regit me, Θ nihil mihi deerit. (b) Quàm suave Christi monitum illud? Respicite volatili cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: Θ Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloriâ suâ coopertus est, sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, Θ cras in clibanum mititur, DEUS sic vestit; quantò magis vos, minimæ fidei? Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. (c) Neque dubitabat Apostolus: sed discipulos hortabatur securus: Omnem jolliciitudin-

(a) Sap. 6. (b) Ps. 21. (c) Matth. 6.

bulinem vestram projicientes in eum ; quoniam ipsi est cura de vobis. (a) Meminissent nimirum à Magistro suo præceptum esse , simul & promissum. Querite primum regnum DEI , & justitiam ejus : & hæc omnia adjicientur vobis : (b) atque olim per vatem suum : Qui tetigerit ros , tangit pupillam oculi mei. (c) Quam homini fiduciam non creent congregata tot è cœlo vaticinia ; quibus in sacris libris nihil frequentius ? Omnem illam pessundat , & evertit peccatum. Nam abominatione est Domino via impii , (d) Quid igitur ab illo spei possit esse ? Damnum illud pro merito quis aestimet ?

Proxime sequitur Angelorum præedium. Quantum illud Divinæ beneficentiæ munus est ? Angelis suis mandavit de te ; ut custodiant te in omnibus viis tuis : in manibus portabunt te , ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. (e) Illi inquam cœlestis aulæ principes , nonne omnes sunt administratori spiritus in ministerium missi , propter eos qui hereditatem capient salutis ? (f) Quis ergo temetus incessat ? Bernardum audi : Quantam tibi debet hoc verbum inferre

D 4

re-

(a) 1. Petr. 5. (b) Matth. 6. (c) Zachar. 2. (d) Pr. 15. (e) Ps. 90. (f) Hebr. 1.

reverentiam, adferre devotionem, confiduciam? Reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Sed vide, in contemptum ne abeas: non levia comminatur DEUS. Observa eum, (inquit de Angelo) Audi vocem ejus; nec contemnendum putes: quia non dimittet, cum peccaveris: animadvertis quippe non parum severè: subductoque suò præsidiò, Numinis ulciscetur injurias. Basilio fidem habe. Omni namque in Christum credenti Angelus assistit, (inquit) nisi nos illum ob nostra peccata absterreamus. Vellut enim furnus apes fugat, O fætor columbas expellit; sic Angelum vitæ nostræ custodem, tenebrosum, fæculentumque peccatum.

Quid de meritis Christi dicam, quorum nos morte suâ fecit ipse participes? Magnitudinem si spectas, quid addipotest? Ab ipso DEO pretium, & sui æstimationem accipiunt. Nobis verò tam necessaria sunt, quam vitis palmiti necessaria est, si quem ex illo fructum speras. Affirmat enim Christus: Sine me nihil potestis facere. (a) In immortalitatem porrò tantam vim habent, ut benè facta quæcumque, exiguæ

(a) Joannis 25.

gua sint licet, si Christi merito junxit, *æternum gloriae pondus operentur in nobis.* (a) Jam vero à Christo vim, gratiam, subsidium quia speras, si tibi reddideris infestum?

Severius videri potest, quod subiectio. Omnis ornatus, quoniam gaudebat anima, peccato vel unicō tollitur. *Habitualis, inquam, gratia* (quemadmodum in scholis Theologi loquuntur) *dona Spiritus Sancti, virtutes infusaæ*, & aliis omnis ejuscemodi animæ cultus, laboris plerumque diuturni, ac molestissimi præmium uberrimum, momento perit. Spoliatur, iraquam, anima ornamentis, quibus omne auri pretium, omnem unionum nitorem, splendorem gemmarum omnem superabat; cœlos in sui admirationem, in amorem rapiebat DEUM ipsum.

Quid? quod ipsam rectorum consiliorum, & bene factorum mercedem, & stipendum dissipat, perditque peccatum? Detrimentum leve nemo judicaverit. Calicem aquæ frigidæ suo nomine propinatum egeno, indonatum promisit Christus non relinquendum. Quantus ergo Bonorum cuiuslibet, annorum subinde plurimorum spatio ex-

surget è prolixis Christianæ Charitatis officiis, ex Evangelicâ paupertate, obsequentiâ, humilitate, castitate, terrenarum rerum despectione, amore cœlestium, atque in primis ipsius DEI : Quantus ex iræ moderatione, gastrimargiæ fugâ, voluptatum odio, divitiarum contemptu, invidiæ detestatione, cæterorūmque vitiorum, aut animi perturbationum, atque adeò sui ipsius heroicâ victoriâ ? Quantus è jejuniis, è vigiliis, flagris sponte sibi incussis, è cilicini sagi gestatione, acerbioribúsque aliis corporis afflictionibus ? At heu ! beatus ille cumulus, omnibus Regum thesauris opulentior, peccato in prædam cedit, diripitur, perit.

Ah non & grave detrimentum istud peccatori, quando Christianâ quodammodo rep. excluditur ? Excluditur, inquam, ingentibus commodis toti Ecclesiæ communibus. Quemadmodum enim senatus authoritas & sapientia, populi fortitudo, icta cum finitimiis fœdera, libera commeatio, secura commercia, publica tranquillitas, imperii amplificatio, profligatio hostiū, triumphi, aliisque ejusmodi vel præsidia, vel ornamenta sic universam afficiunt
temp.

temp. ut singuli nihilominus cives in boni publici partem veniant : aut si mavis, quemadmodum hominis corpus universum æqua temperies, sensuum vigor, membrorum integritas, atque apta inter se connexio, ciborum concoctio commoda, valetudo, robur, forma sic tacentur, ac sustinent, ornantq; ; ut singula nihilominus membra membrorum singulorum, ac totius etiam corporis incolumitate, bonoque gaudeant, ac fruantur: non aliter Ecclesia, resp. quædam est ita optimè ordinata, vel mysticum corpus ita aptæ membrorum quamquam diversissimorum connexione constitutum, ut communia sint omnibus, totius, atque adeò singulorum bona. Privatorum enim rectè facta, sana consilia, virtutes, heroicæ sui victoriæ, corporis afflictiones, orationes, sacrificia, sacramentorum usurpatio, sic authores illorum homines privatos beant, ut suum nihilominus commodum, & quæstus in publicum Ecclesiæ velut ærarium, ac singulorum quasi scrinia referantur. Ita non modò propriis, verùm & alienis etiam ditamur opibus: quamdiu nimirum aptè corpori singula cohærent membra. Nam ubi semel

à Christo capite per peccatum revulsæ
fuerint, in illam tot bonorum com-
munionem non admittuntur.

Quod enim aliunde bonum admit-
tant, qui maximò, quod habebant,
se se spoliârunt? Maximum appello,
consciam recti mentem. Audeo nimi-
rum post Ciceronem; qui *conscientiam*
rectæ voluntatis, maximam consolationem
esse rerum incommadarum (a) contendebat.
Addiditque aliquando; laudem
sapientiæ esse maximam, non aliunde
pendere: nec extrinsecus, aut bene, aut
malè vivendi suspensas habererationes. (b)
Numquid etiam amplius illud? *Con-*
scientia ipsa factorum egregiorum amplissi-
mum virtutis præmium est. Imò nullum
theatrum virtuti conscientiæ majus. For-
titer etiam profectò poëta. (c)

Murus abeneus esto.

Nil consciere sibi, nulla pallescere culpā.

Fastidio sint plura testimonia, ubi inficietur nullus, etiam Christianâ luce destitutus. Istius verò Boni proorsus nihil cum peccato stare potest: cuius (d)

Prima est hac ultio, quod si

Judice nemo nocens, absolvitur.

Judicis denique DEI sententiâ sum-
mum

(a) I. 6. Epist. famil. Epist. 4. (b) Idem I. 5. Epist. 23. (c) Her. Epist. I. ad Mæcen. (d) Juven. Sat. 13.

mum bonorum omnium peccatō tollitur; felicitas inquam æterna. Quam quidem gloriosæ fortis beatitudinem pro merito quis explicet? Arcana sunt, quæ non licet homini loqui. Multūm nihilominus, & profectō ad stuporem audet Augustinus. Tanta est (inquit) jucunditas lucis æternæ, ut etiam si non liceret amplius in ea manere, quam unius diei morā: propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ, pleni deliciis, circumfluentia temporalium Bonorum, rectè, meritōque contemnerentur. Non enim falso, ac parvo affectu dictum est: Melior est dies una in atriis tuis super millia. (a) Quæ si ita habent, vices pro veritate mutemus. Cœlestibus Bonis immortalitatem; terrenis annos paucos, aut verius diem, vel horulam aliquam red-damus: quam inania hæc erunt, quam vana, & Boni nomine indigna! Quam solida, & certa est omnis à DEO felicitas! Quam sola sincerum Bonum appellanda! Innumera dicta sunt; à sapientibus infinita superant dicenda, nullâ cuiusquam oratione unquam exæquanda. Istius porrò felicitatis spem omnem, factam nobis jam inde à primâ nostri conditione, peccatum intercidit.

A N A N D E R. Heu cæcitatem nostram ! qui per turpissimam ignorationem tot, tantaque Bona flocci pendimus : & præferimus , amplectimurque cœcum perturbatæ naturæ impletum , aut quam nobis veluti per somniantis capitis ludibria fingimus voluptatulam. Non absimiles nimirum improvido helluoni Esau : qui voracitate turpissimâ victus , postquam omnia primogenita sua vili permutasset pulmento , accepto pane , \mathcal{O} lentis edulio , comedit , \mathcal{O} bilit , \mathcal{O} abiit ; parvipendens , quod primogenita vendidisset. (a)

§. 2.

*Peccatum homini gravissima infert
damna.*

A NICET. Insania nostra hoc etiam magis est deploranda , quod non modò Bona ista sponte abdicamus , & indignum in modum abjecta veluti conculcamus ; sed immania prorsus , horrendaque accersimus Mala , & eorum barathro quodam absorbemur . Ut verum sit sancti regis de peccatore vaticinium : *dilexit maledictionem , \mathcal{O} veniet ei : \mathcal{O} noluit benedictionem , \mathcal{O} elongabitur ab eo.* Et induit maledictionem ,

(a) Genes. 25. (b) Ps. 108.

nem, sicut vestimentum: & intravit sicut aqua in interiora ejus; & sicut oleum in ossibus ejus. Vaticinanti lucem dabo Malorum enumeratione aliquâ.

Caput omnium, & origo infaustissima est, quod peccatum hominem faciat ex amico DEI, hostem juratum, & capitalem. Non immoror: longiore jam oratione demonstravi.

Diaboli præterea mancipium facit. O sortem abominandam! Bono servire Domino leviorem facit servitutem: inò etiam servire DEO, regnare est. Sed abjectissimo, crudelissimo, tetrorem servire mancipio, quam detestanda illa denique servitus est? Ejus in hominem odium, ac rabiem quis necit? aut sanè quis intelligit? Specimen esto importuna crudelitas, quam humanas victimas Diis suis mactare compulsi sunt Tyrii, Galli, Numidæ, & alii plerique populi. Quid? Nonne Judæi aliquando relictô Deo, legibusque patriis, servierunt sculptilibus finitorum: & factum est illis in scandalum? Et immolaverunt filios suos, & filias suas demoniis? Et effuderunt sanguinem innocentem: sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan? (a) Et hodie crudelita-

tis ejus exempla spectamus , quoties
adversus energumenos illam exeri
DEUS patitur.

Peccati ipsius leviorem nec credide-
ris tyrannidem. Quam s̄epe parentes,
conjuges , liberos, agnatos , cives , in
mutuas cædes inflammavit , armavit-
que libido hos, illos cupiditas, istos in-
vidia , alios alia animi prava affectio ?
Etiam in perniciem suam hominem
servum concitat. *Qui enim facit pec-
catum, (ait Joannes) servus est peccati.*
Quomodo enim non servus omnis avarus,
*(ut probat Ambrosius) qui pro exiguo
pecuniae lucello seipsum auctionatur ? Quo-
modo autem non & ille servus, qui subdi-
tus est libidini ? (a) Omitto alia fusiūs
aliás explicanda.*

Nisi ultra servitutem s̄eviret pecca-
tum , levior forsitan videri posset ty-
rannis. Quos in suam redit potesta-
tem, miserandum in modum demen-
tat ; & Circæis poculis fortius in va-
rias, & infelices mutat formas. Stul-
tum primò facit è sapiente mancipium
suum. (b) *Cogitatio enim stulti peccatum
est : ait Sapiens. Basilius vero, (c) Omne*
peccatum per stultitiam fieri contendit.
Plùs etiam Ambrosius. *Quis est insi-
piens,*

(a) *Joannis 8.* (b) *Prov.24.* (c) *Psal.37.*

piens, (inquit) nisi qui peccatum facit,
 Quid eligit Mala pro Bonis? (a) Stultus ille
 non censeatur, qui aurum lutum, silice
 adamantem, terrâ permuat cœlum? E puro, nitidoque sordidus fit, & gra-
 veolens peccator: & qui (b) Christi Bo-
 nus odor erat, vertitur in suem lotam in
 volutabro luti. Computruerunt, Quid cor-
 ruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipien-
 tia meæ: de se fatebatur ingemiscens
 vates. Idem asseverat Ambrosius. In-
 terroga conscientiam peccatoris. Nónne
 gravius omnibus fætet sepulchris? (c) Ti-
 midus, & vecors fit, cuius magnanimiti-
 tam inferi verebantur, ut jam trepi-
 det timore, ubi non erat timor. (d) Nam
 aliás quomodo persequatur unus mille: Quid
 duo fugent decem millia? Nónne idē quia
 Deus suus peccatis offensus vendidit eos,
 Quid Dominus conclusit illos? (e) inquit
 Moyses. Integrum antea, sanumque
 languor occupat, & ægritudo. Nam si
 Augustino fides, peccata febres animæ
 sunt: apud Chrysostomum gravis pa-
 ralyticus: Basilius elephantiasim, seu le-
 pram appellat. Et certè quis nesciat,
 ut morbos corporum, ita peccata nihil
 aliud esse, quam vitiosas animarum af-
 fectiones?

Quid

(a) Ps. 38. (b) 2. Cor. 2. (c) I. z. Offic. e. 12. (d) Ps. 13.
 (e) Deuteron. 32.

Quid vero Malorum non a peccato perpetimur? Nostris peccatis barbari fortes sunt: nostris vitiis Romanus superatur exercitus, &c. (inclamat Hieronymus) (a) Non amputamus causas morbi, ut morbus pariter auferatur, statimque cernamus sagittas pilis, tiaras galeis caballos equis cedere. Totonc in eamdem sententiam, in easdem abit lacrymas Salvianus. (b) Paucis omnia Chrysostomus. Malorum omnium causam, (ait) constat esse peccatum. Ex peccato tristitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atque omnes, quotquot nos premunt, passiones. At Cyprianus: (c) Hoc sunt peccata lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis fœda tempestas.

Omnium denique malorum ultimum nonne a peccato? Immanes illos dico apud inferos cruciatus; qui nec sentiuntur, ubi peccatum non est. Sed de illis antea pro instituto sat. Quæ omnia cum ita sint, cuius Mali turpitudo, vel diritas cum peccato componi possit?

(a) Ad Heliod. (b) De Provid. (c) Cypr. serm.
de lapsis.

§. 3.

*Etiam venialis peccati damna sunt
gravissima.*

ANANDER. Peccati malignitatem scitè descripsisti : sed quam, opinor, cuicunque peccato tribui nolis. Sunt enim leviora ; quia D E U S illis non adē gravatè veniam indulget. Venialia nuncupamus. De his quid censes ? ANICETUS. Quid censeam ? Leviora sunt, ais. Sunt revera si tamē leve est , quod peccatum est. Quid ? leve dicas , quod Divinæ Majestati displicet ? quod eam offendit ? quod ejus sacrosanctâ lege vetitum est ? Animam contaminat ? Hoc leve est ? Pulcherrima est anima , imago D E I accurata , omni cultu è cœlis quæsita exornata : nævus , quem in vili lacer- nâ , in turpi mancipio fortasse non ad- vertes , in eximiâ illâ pulchritudine , in illo cultu ornatissimo quàm fœdus est , quàm indecens ? Ut mortem non inferant istæ noxæ , periculö certè non adē procul absunt. Author est Augu- stinus. Quid interest ad naufragium (inquit) utrum uno grandi fluctu navis operiatur , & obruatur : un paulutim subrepens aqua insentivam , & per negli- gen-

gentiam derelicta , atque contempta , im-
pleat navem , atque submerget ? (a) Cla-
rius alias . Noli peccata contemnere ,
quia minora sunt ; sed time , quia plura
sunt . Attendite fratres mei , minuta sunt ,
non sunt magna : non est bestia , quasi leo ,
ut uno morsu guttur frangat : sed bestiae
plerunque minutæ multæ necant . (b) Sub-
ditque post pauca . Quam minutissima
sunt grana arenae ? si arenae amplius in na-
vem mittantur , mergunt illam , ut pereat .
Quam minutæ sunt guttæ pluviae ? Nonne
flumina implent , O domos dejiciunt ?
Ergo ista nolite contemnere . Quid ?
quod Charitatem , virtutum reginam ,
quamquam animo non pellit , frangit
tamen tepiditate , & infirmat ? Non
aliter feruentem aquam frangit frigi-
da : & iter facientem sarcina gravior
impedit . An non beneficentiae Numi-
nis obicem ponit ? Quid aliud ab of-
fenso par sit exspectare ? Sed & honesti
prosecutionem impedit , ac moratur .
Quod Malum hoc profecto gravius est ,
quo ad celsiorem virtutis apicem tota
tenendum æternitate pertingere forsi-
tan possemus . Præterea sanus non sit ,
qui negligat , quod gravissimis in hac
vitæ suppliciis castigat DEUS . Abba-
tem

(a) Epist. 108. (b) L. de deinceps chordis. c. II.

tem Moysen sathanæ tradidit, hoc est cruciandum permisit, quō soient engumeni modō, non aliam ob causam, quām quodd incitator sodalem paulò acriore verbo perstrinxisset. Easdem monachus alter dedit pœnas, quodd nimio voluptatis sensu frigidæ calicem ebibisset. Quodd inter orandum in diversa mentem aliis distractiisset, eodem expiavit supplicio DEUS. Levem existimabis tu severitatem istam? At, si de Numinis æquitate recte sentis, non inferiorem suppliciō noxam fatearis necesse est. Quis ausit denique parvi facere, quod animam corporis ergastulo solutam; desideratissimis arcet sponsi cœlestis amplexibus, & in horrendum aliud compingit ergastulum, atrocissimis cruciatibus peccatum omne vel levissimum luituram? E quibus omnibus hoc conficito, quod olim Chrysostomus. *Fugiamus* (ajebat) modica Mala: magna siquidem ab illis nascentur. *Quisquis enim ad quodlibet delictum dicere didicit consuetum illud: Nihil erit ab hoc damni: paulatim omnia perdet.* Istud quippè malitiam induxit, istud latroni portas aperuit, istud civitatis muros dejecit: hoc ♂ in corporibus magni morbi contribubuntur, quando medici contemnuntur.

tur. (a) Cohorruit & Bernardus ; mo-
nuitque : *Si dicas non est magnum, si in
his mancam venialibus, minimisque pec-
catis : hæc, dilectissimi, impenitentia ;
hæc est blasphemia in Spiritum Sanctum,
blasphemia irremissibilis.* (b)

CAPUT XI.

Solum time peccatum, & fuge.

PECCATI gravitatem longiore, quam ad susceptam disputationem pertinere videri posset, oratione prosecutus, operam equidem perditam minime existimo. Quamquam enim paucioribus ostendi potuerit, tantam esse peccati pestem in hominum genus invectam, ut cætera, quæ dicuntur Mala, vel levissima, vel omnino non Mala censeri debeant: hominum tamen animos in illud barathrum sponte susruentes numquam à tanta pernicie satis avocaverimus. Obvia passim exempla sunt hominum male sanorum, qui turpissimæ voluptatis prurigini quo faciant satis, in istam se malorum, quæ secum infert peccatum, vaginam immittunt ; nihilô sapientiores Michaële Orientis Imperatore, qui vile

(a) Chrys. in 7. ad Rom. (b) Serm. 1. in Conv. S. Pauli.

vile agonisma, marcescibilémque coronam, exercituum, & provinciarum fidei, ac incolumentati anteponebat; adeò currulibus capiebatur certaminibus. Sublatis aliquando repagulis signum exspectabat ad cursum, cùm ecce trepidus nuntius exercitus, & provincias defecisse afferet. Ille exasperatâ fronte: Audes, inquit, animo in res gravissimas incumbenti nærias istas occinere? Heu! utinam alios plerosque hodie par amentia non abriperet ad indigniora! Utinam vilis laureolæ desideriô salutem suam infana capita non prostituerent!

§. I.

Aliter sensere Sandi omnes.

Jucundius, unâque glorioius placet præbere spectaculum. Innumerabiles ecce cœlestis sapientiæ alumnos profero: fortissimorum ecce pugilum produco multitudinem propemodum infinitam, qui nobili æternæ felicitatis agonismate jam fruuntur, quod omnibus excruciatî maluerint suppliciis, quam aliquâ polui turpitudine. Vide, quid ausus fuerit Anselmus. In eas, inquit, angustias me redige, ut vel peccatum amplecti cogar, vel infero-

ferorum subire cruciatus : in horrendam illam tormentorum omnium diritatem me potius præcipitem dejiciam, quām animum peccati turpitudine patiar contaminari. Quid Ludovicum commemorem, illum sanctitate, quām Francorum regno majorem ? Non dubitabat affirmare, malle se, elephantiasī, seu leprā corpus, quām animam peccatō dehonestari. Ita sentire decebat, & loqui illum, quem sanctissimis pia mater Blanca institutionibus imbuerat. Afferere solitam narrant, morientem filium æquiore animo spectaturam se , quām peccantem. At magnus in Occidente monachorum Patriarcha Benedictus, quo intemperantiæ sagittis aciem retunderet, nudum inter vepres, & spinas corpus non versavit ? Non rigente brumâ, medias inter nives nudus & ipse Franciscus Afflitas Veneris restrinxit ardores ? Quid Ægypti, quid Syriæ horridam solitudinem ; quid sparsa toto orbe, multisque monachorum habitata millibus enumerem monasteria ? Nōnne omnibus unum hoc fuit propositum , cilicinis vestibus, flagris , inediâ, vigiliis, aliisque magnâ alacritate suscepitis afflictionibus corpora sua tantum non ene- care

care potius, quam vires ad peccandum relinquere? Tam altè vitii odium animis infederat! Quantum in Ignatio fuit? Operæ pretium sperabat uberrimum se reportaturum, si suâ sollicitudine, industriâ, laboribus, vigiliis, fusis ad DEUM precibus, adhortationibus, perditam mulierculam à peccato vel unam noctem retraheret. Quid? nonne in lacum præfrigidum, sœiente gelu, collo tenuis se hilaris immergit, quo ardenter in juvēne libidinem restinguere? Quâ virium omnium contentione procu! à se pepulisset? Neque levia profectio sunt ista; nisi quando cum gravioribus comparaveris.

§. 2.

Ita vixerunt potissimum Martyres.

Non paulò graviora Martyres provinciis omnibus, regnis, imperiis, longo plurium sæculorum lapsu sustinere amaverunt, ne cui criminis cervices subjicerent: ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, (a) Quantâ mentis alacritate lictorum contempsit inhumanitatem gloriosus ille fenex

E

Elea-

(a) Hebr. II.

Eleazarus? Domine, qui habes sanctam
scientiam, (inquit) manifeste tu scis,
quia, cum à morte possem liberari, duros
corporis sustineo dolores: secundum ani-
mam verò, propter timorem tuum, liben-
ter hæc patior. Ejusdem palmæ con-
sortes septemgeminos fratres cur si-
leam? Efferatam truculenti tyranni ra-
biem videbant: horrenda in conspectu
erant tormenta: erat & certa mors
crudelissima: contrà adolescentibus vi-
ta promittebatur in opibus, deliciis,
honoribus agenda, si impii regis obse-
querentur voluntati. Vide, quid ad
illam optionem natu maximus, ad ty-
rannum: *Quid quæris? & quid vis dis-
cere à nobis?* Parati sumus mori magis,
quam patrias DEL leges prævaricari. Ita
pro omnibus ille fortiter locutus est:
fecerunt etiam fortius pro se quisque.
Verùm quot, quantosque Martyres
aurea Evangelii sæcula dederunt, toti-
dem habemus certissima peccati præ-
cæteris omnibus detestandi testimonia.
Legio Thebæorum ducente Mauritio,
Ursulâ ducente undena virginum mil-
lia, in montibus Armeniæ dena alia
millia, Treviris innumerabilis multi-
tudo, cur vincula, carceres, equu-
leum, ferrum, flamas, cruces, mor-
tem

tem ipsam contempserunt ? Molliter vivere poterant , nisi peccatum illis omnibus existimâssent atrocius . Intelligis non paucorum illam fuisse sententiam , & fortitudinem ? Auget Baronius ; mensisque dumtaxat unius spatio , septemdecim millia Martyrum enumerat anno quarti sæculi secundö . Magis etiam Spondanus : qui in sola Ægypto per decennium centum quadraginta quatuor hominum millia cæfa vult , ac septingenta millia in exilium acta . Quid orbe reliquo sanguinis fusum ? Quid exilii , quid calumniarum , injuriarum , cruciatuum fuisse toleratum cogitare possumus ? Modico thure , verbô uno , unicō peccato , malorum tanta sœvities declinari potuit . Non placuit . Perferre mortem magis placuit , & quidquid tormentorum barbarica rabies adinvenit . Nónne universi generis hominum illam fuisse sententiam dicere possumus , quando tanta multitudine , tot ætatis bus , tanta gentium varietate , ita sentire , ac facere , quodammodo constitutum est ? Quid si non virorum illa fuisse certamina , & triumphos ; sed & fæminarum , & virginum , & puerorum dixerimus ? Pueris , inquam ,

ac virginibus quasi Iudus fuit, tyranorum minas non timere; verbera, vulnera, cruciatus ridere; uncos ferreos, ardentes laminas, æstuantia balnea, concretos urente gelu lacus, feras laniantes contemnere; præcipitia, pyras, cruces, mortem ipsam omnium ultimam suaviter amplecti; ne quam in animum turpitudinem admitterent, malorum omnium pessimam existimantes. Ut merito glorioſis illorum triumphis nobilis hic titulus præferri, vel præfigi trophæis inscriptio potuerit: *Malui mori, quam fædari.* Quæcum ita sint, amentatum ecce telum interqueo. Vel ignorantia illorum summa est, qui tantopere peccatum fugere contenderunt; vel sine modo malorum illorum acerbitatem supra verum extollis. Verum ignorantiae illos arguere quis audeat, quos ideo veneratur Ecclesia, Deusque felici beatitudo immortalitate, quod non sapienter minus, quam fortiter egerint? Relinquitur, ut ea nimium formidare censearis, quæ, quamquam Mala esse dicantur, judicarunt tamen amplectenda beatæ illæ animæ, ne in horribilius peccati barathrum corruerent. Chri-
tum scilicet audierant docentem: No-

lite

lite timere eos, qui occidunt corpus; animans autem non possunt occidere: sed potius eum timete, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. (a) An non Malum timor est? An Malum esse non negat, quod negat timendum esse? Solum contrà peccatum, quod revera lacerare, quod potest & animam, & corpus perdere in gehennam, timendum esse docet. Peccatum ergo solum in Malis reponit.

CAPUT XII.

Non modò non sunt, quæ dicuntur Mala; sed (quæ tertia ratio mea est) Bonis etiam esse accensenda contendō.

Mentis impetum ad altiora nitenter nec sistere valeo, nec volo. Amico Bonum cur enim invideam? Imò in tenebras abditum cur non in lucem proferam? ANANDER. Amabo, si quod mihi Bonum habes, idque occultum, aut incognitum; ne celato. Sapientia enim incognita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? (b) ANICETUS. Vide, quæ mortalium animos involvat caligo, & quantam illis eripiat felicitatem. Non modò, quæ

E 3

Ma-

(a) Matth. 10. (b) Eccl. 41.

Mala vulgus hominum insipienter exstimat, Mala non sunt; verūm Bona nobis etiam quām plurima, & quām maxima parere, atque adeò & ipsa esse Bona, docere animus est. ANANDER. Siste, Anicete: ulteriùs ne tenta; vereor, ne infelicitter. Ajunt enim Philosophi: *Nihil probat, qui nimium probat.* ANICETUS. Tota res in vado est: ne time. Si meā sententiā hoc afficerem, non immeritò forsitan siniſtri quidpiam suspicareris.

§. I.

Illiſ felicitatem adſcribit Christus.

ANICECUS. Authorem sequor DEUM ipsum. Quid certius? Vix aliud quidvis sanctis omnibus libris frequentiùs probatur: & tamen in hominum animos vix aliud admittitur ratiūs, aut leviūs. Sed eò magis de illo mihi differendum esse constitui. Hoc satīs constat, neque aliquis ambigere potest; beatum esse neminem, nisi Bono aliquo, vel potiùs bonorum omnium aggregatione: atqui, beatos Christus quos indigitet, audiamus: non profectò divites, non honoribus extremos, non quibus ex animi voto fluant omnia, non denique quos homines paf-

ſim

sim judicant beatos. Quos ergo? Beati pauperes spiritu: beati mites: beati, qui lugent: beati, qui persecutionem patiuntur propter Justitiam. Beati estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me. Gaudete, & exultate, &c. Apertius dici quid exspectas? Ita sentit, & docet æterna sapientia. Pluribus me abstineo, quæ supra abundè protuli. ANANDER. A teneris unguiculis docentur ista pueri, jubenturque pronuntiare: & heu! ad ultimam senectutem, ad tumulum ignorantiam suam deferunt. Isto tu me malo exime: aut potius illâ me beatitate; ut, quæ contra votum, & repugnantibus ingeruntur quotidie, cedant in beatitudinem. ANICETUS. Velis: & factum puta. Numinis benignitatem ex eo miremur, amemus, amplectamur. Voluptates enim, honores à nobis plerumque fugientes, quantis laboribus, impendiis, ærumnis, prosequimur? Ex alio etiam orbe divitias quærimus; quibus nimirum evadamus miseriores. Ecce non cogitantibus, etiamque nolentibus passim obtruduntur, quæ (si modò volumus) beatos faciant, Modum accipe.

§. 2.

*Purgantium flamarum vice noxas
expiant adversa.*

Quis hominum, quamdiu mortales
vibus subinde non inspergit? Ecce lu-
na etiam non splendet, & stellæ non sunt
mundæ in conspectu DEI: quantò magis
homo putredo, & filius hominis vermis.
(a) At certè in cælestem Jerusalem non
intrabit aliquid coquinatum: (b) neque
pro sua puritate quemquam DEUS in
amplexum admittet, qui vel labecu-
lam priùs omnem non absteserit, aut
inter vivos degens, aut à morte, sed
horrendis cruciatibus. Hoc tamen
statue discrimin; quod, quam diu vi-
vimus, suam DEUS exhibet benigni-
tatem, & gratiam; atque levi nego-
tio non modò noxæ multum patitur
expiari, sed & æternum gloriæ pondus
adjicit. Contrà post mortem soli re-
linquit justitiæ, & severitati locum;
pariāque peccatis infligit tormenta,
nullò ad æternam vitam emolumentō.
Tormentorum atrocitatem tantillo fru-
ctu quis præferat? Quis non eò se feli-
ciorem arbitretur, quò plura, quo ad

vi-

(a) Job.35. (b) Apocal.23.

vivet, dabitur expiare? Post mortem aures obstruit plus quam adamante inexoratus judex; qui suavissimum viventibus se parentem exhibet, & pauca pendentibus multa condonat. Ut de illo dicere liceat, quod olim de Platone Diogenes, cum ab illo vini perparum periisset, plenamque accepisset lagenam. In hunc quippe modum gratias egisse fertur: Cum interrogaris, quot sint duo, & duo respondes: virginis. Ita nec secundum ea, quae rogaridas; nec secundum ea, quae interrogaris, respondes. An, cum audis tu plurimos quotidianas vitae hujus molestias, calamitatésque constanter, & religiosè perferendo, teterim illis flamarum purgatoriis ergastulis non modo creptos esse; sed eam calamitatem antevertisse, atque prorsus effugisse: objectis ejuscemodi miseriis non laetus occurras, & amplectaris, quo leviculis doloribus atrocissima permutes tormenta? Sanus non sis, aliter si sentias.

§. 2.

Adversa homines peccatis avertunt.

Humanas vero ærumnas quis nescit adversari peccatis quam maximè?

Quām multi , si corpore valerent , si abundarent opibus , si deliciis diffuerent , si cum multis necessitudinem , & amicitiam magna fide junxissent , si placido arrideret vultu fortuna , si ex animi denique sententia , & voto fluerent omnia : quām multi , inquam , turpi , & exitiosâ licentiâ præcipites abi- rent in vitia , in ima flagitiorum , in æternum interitum ? Quibus contraria si ex adverso omnia , crescit animi vir- tus , & fortitudo , rerūmque è cœlo me- liorum desiderium ; atque adeò vitiis bellum indicitur internecinum . Quæ sensus deliniunt ; quæ inferiori animæ parti ad blandiuntur , quis nesciat , quām virtuti sint adversa , quām menti hu- manæ officiant ? Sciebat certè Ambro- sius ; qui , cùm divitem quendam homi- nem , ad quem hospitii gratiâ diverte- rat , sibi de fortunæ constantiâ gratu- lantem audiisset , quam nunquam to- tâ vitâ sensisset iniquiorem : è vestigio cum suis abiit ; eâ causâ ; inquit ad comites , quòd cum homine secundâ semper fortunâ uso , quam primum per- ire vereretur . Et profectò haud ita pro- cul aberant , quando conversi ædes illas vident cum omnibus inhabitanti- bus terræ hiatu absorptas . Suis nimi- xum

rum illecebris adēd homines blanda
fors irretit, ut supra ejus risum, & fa-
vores mentem attollere non valeant.
Incrassatus est dilectus, & recalcitravit:
incrassatus, impinguatus, dilatatus dere-
liquit DEUM factorem suum, & recessit
à DEO salutari suo. (a) *Contrà, quos de-*
seruit fortuna, casibusque involvit ad-
versis, quasi jam excusō rerum terre-
narum viscō, aut disruptis vitiorum
compedibus, ad altiora se extulere,
ibi spem suam, & felicitatem omnem
consecuti, ubi nulla fortunæ tela
metuerent.

§. 4.

Cælum promerentur aduersa.

Non rebus tantummodo humanis
mentes abstrahunt illa vitæ hujus
tristia; sed velut detracto gravi ponde-
re, cœlis inferunt, æternū triumpha-
turas. Coronari quippè nemo potest,
aut triumphare, nisi vicerit; nec vin-
cere, nisi certaverit; nec certare, nisi
hostes invenerit; nec hostis est, nisi
malum quis, & vim machinetur. Sed
macte animis: *regnum cœlorum vim pa-*
titur: & violenti rapiunt illud. Bre-
vis est, & exigui momenti vis, aut cer-
tainum: æterna est vero victoria; trium-

phus æternus. Arat colonus, serit, occat, non sine fatigatione, sudore, tandem longioris, & toties repetiti laboris. Quæ molesta quamquam, & aspera revera sint, levia tamen, atque adeò jucunda futuræ messis spes facit; ut laborem omnem, cœlique injurias agricola perferat cum lætitia, & cantu non multò aliter, quām in deliciis, & opiparis dapibus. Adeóne vile cœli regnum existimabis præ agelli unius fructibus, ut pro illo adipiscendo jucundi labores videri non possint? Militiæ ærumanas, pericula, vulnera, mortem ipsam dulcem, & decoram pro reip. salute, vel gloriâ miles arbitratur. Solane beatitudinis æternæ gloria levior est, ac vilior, quām ut labore mereatur aliquo comparari? Sapienti consilio Persas ad libertatem amandam Cyrus excitâsse fertur, cùm adhuc Mædorum servitute premerentur. In unum convocatos cùm per unum diem solidum vili, ac laborioso opere vexâset: alio die ludis, lætiissimisque conviviis recreavit. Tum docuit: si Medis parere pergerent, duros labores, quoad viverent, toleraturos: in libertatem sese vindicare si mallent, lautiorum, quām cœpissent degustare, vitam per-

perpetuam fore. Valuit ad faciendam fidem argumentum. Sumptis armis Medorum jugū excusserunt. Assassinarum in contemnēdā morte quanta fuit alacritas? Sui regis imperiō in cuiuscumque Principis aulam & conclave, in imperatoris prætorium sese penetra-re, & designatum à rege suo caput ob-truncare minimè dubitabant, et si nullum effugio locum viderent. Ad eam rex alacritatem sic excitārat. Quos deprehenderat consiliis suis idoneos, propinato quodam poculo, sic altō somnō obruebat, ut nihil sentientes in amœnissimum quoddam palatum de-ferri juberet, ac deponi. Expergefa-tis proponebantur omnis generis deliciæ, quas omnium suavissimas arbi-traretur, quicumque solius corporis voluptates nōsset. Quibus ita degu-statis, cùm eōdem, quō pridie, medi-mentō sopiti essent, in eum, quo re-perti fuerant, locum referebantur. Evigilantibus rex persuadebat, in cœ-lum abductos delicias illas præcepisse, quibus æternū fruerentur, si morte etiam contemptā, sibi obtemperare auderent. Cur tu Christiane minūs au-deas? cur illa non ames, & amplecta-ris, per quæ fatidico Christus ore va-

ticipinatus est, ac promisit sinceras æternæ felicitatis voluptates? Heu! quam erras, si per hujus vitæ blandimenta speras ad beatam illam immortalitatem pertingere! Illis albæ gallinæ filiis quid profuere prospera? quid familiæ splendor? quid epularum delitiæ? quid purpura, & byssus? quid amicorum turbæ, famulorum greges, clientum exercitus, omnium ad nutus obsequia? Brevis scena fuit. Cortinis mox adductis, abierunt omnia. Ipsi sepulti in inferno, diris æternum cruciantur tormentis. Plerisque cælitum contraria omnia. Mendicitas, morbi, ulcera, inedia, omnium contemptus, fugaque, ac horror, vitam fecerunt insuavem, molestam, & ipsa morte duriorrem. Sed quo hæc omnia? Momen-
 to temporis pugnatum est: tota immortalitate triumphabitur. Triumphant post acrem pugnam, quibus si deliciæ circumfluxissent, æternum fortasse periissent. Alii contrâ perierunt; quibus nisi blanda omnia fuissent, si fuisset hostis, si pugnatum esset, & ipsi forsitan triumpharent. I nunc: fortunæ blandientis illecebras ama: melitta Circes ebibe pocula: tristia quæque cane pejus, & angue, fugito: hoc est,
 trium-

triumphum, & gloriam fuge æternam ;
 æternam ama , & amplectere cladem,
 dolorem , tormenta. Optionem ha-
 bes : quod mavis , lege, ANANDER,
 Quam ais optionem ? Rationibus sanè
 tuis non habeo quas objiciam : nec ta-
 men cedere valeo. Ut in me nimirum
 experiar , quod deplorabat Apostolus :
Condelector legi Dei secundum interiorem
hominem : video autem aliam legem in
membris meis , repugnantem legi mentis
meæ , & captivantem me in lege peccati ,
qua est in membris meis. (a) ANICETUS.
 Generosum attolle animum : non sine
 pugnâ vincitur.

§. 5.

Per adversa Christus præivit.

ALiud ecce promo telum, idque va-
 lidissimum ; quo hostem conficias.
 Christi Servatoris exemplum est. Se-
 qui tu præeuntem detrectare audeas ?
 Jubenti dumtaxat (quod profectò mi-
 nus est) non obtemperare fas non est.
 Carolum Longovallium Bucquoii Co-
 mitem nôsti , saltem , famâ , belli du-
 cem totâ Europâ celeberrimum, & Im-
 perii fortissimum propugnatorem. Hic
 aliquando cum Patribus Societatis Jesu
 agens

(a) *Ad Roman. 7.*

agens Montibus Hannoniæ: Obtempe-
randi studium apud vos, inquit, ut par-
est, vigere scio, quām maximè: at
nobis profectò, qui in aulâ vivimus,
graviorem obaudiendi necessitatem ex-
istimo incumbere: Nam ad omne Prin-
cipis imperium adē fīngi necesse est,
ac refīngi, ut, si currum fīmō gravem
agere me per urbem velit, atque nutu-
tantummodo significet; detrectare
nullo modo mihi sit liberum. Dic,
Anander: imperio suo si princeps, aut
rex exemplum adderet; quempiam
arbitraris integrā dignitate posse tergi-
versari? Nōnne contrà, qud proprius
ad regem imitatione quis acceſſerit, eō
cōſebis gloriōſiorem? Et, o mortalium
vecordiam! trita Christo vestigia cui-
quam horroſi ſint? Ignave miles, indi-
gne Christi baltheō, militiā, & ſtipen-
diis indigne! tibi durum erit, quod Im-
peratori tuo durum non fuit? fuit verō
in deliciis! & tui gratiā fuit? Cui prior
ipſe, hilarisque humeros ſubjecit, tu
homulus ſuave jugum eſſe negabis?
negabis onus eſſe leve? Quid non ob-
tinuit à ſuis, qui ajebat?

*Sitiat, quicumque bibentem
Viderit; aut umbras nemorum quicum-
que petentem,*

Aſtuet;

Æstuet ; aut equitem peditum præcedere
turmas ,
Deficiat : si quo fuerit discrimine notum ,
Dux , an miles eam. Lucan. l.9.

Imperatorem illum suæ gloriæ in-
hianteū secutus est miles in avia , in-
via , in solitudinem horridam , in fa-
mem , in densam missilium grandinem ,
in oppositam stricti ferri segetem . Im-
peratorem tuum , & illum Imperato-
rem deseres , salutem tuam , tuam glo-
riam per illa ardua quærentem ? Illo
mundi supremus Imperator , ille ter-
rarum deliciæ , cœlorum gloria , Pa-
ternæ substantiæ figura , & imago præ-
stantissima , quamdiu mortalis vixit ,
nusquam potuit inveniri , præterquam
in stabulo , in præsepio , inter bovem &
asinum , in exilio , inter peccatores , &
viles pescatores , in manibus lictorum ,
& vinculis , in veste ludicrâ , ad varia
tribunalia , inter accusationes iniquis-
simas , impiissimâmque aded damnâ-
tionem , sub flagris , & spinoso serto ,
sub cruce , ac denique post toleratas in-
dignissimas execrationes ; in ipsa cruce ,
inter latrones , in morte acerbissima ,
simul & turpissima . In his Christum
invenies , quicumque quæris : & fru-
stra quæris , quisquis alibi quæris . Hic

malis tuis modum invenies, hīc invenies tuum omne Bonum; & alibi nusquam. Animam igitur collige: & si quid durius ingruit; Christi regis vestigia legere te memento; sed eminus. Si paupertatem fers, si contemptum, infamiam, probra, cruciatus: his omnibus acerbiora DEUS toleravit; & tui gratiā toleravit, nullaque adactus necessitate. Potuit omnibus affluere Bonis: neglexit, tui amore. Atrociora omnia antetulit, ne te crederes infelicem, quando quid te sustinere continget. Per illa viam struxit ad beatam immortalitatem, ne horrori essent, essent ut solatio. DEUS denique filium suum unigenitum, sibi tam unicè carum, quam ipse DEUS est, ad illa duriora misit, quæ profectò vel Mala non existimaret, si filium amat; vel ejus toleratu judicaret non lenienda modò, sed & nobilitanda.

CAPUT XIII.

*Ex antecedentibus omnibus confice, ab
alio lædi te nunquam posse.*

Ed deducta est disputatio nostra, unde brevem, & optatum nobis extum polliceri possumus. Ea præmisimus

mus, & fidem fecisse tu quidem fate-
ris, quæ si vera sint, sine erroris for-
midine certa conclusio consequatur.
Nam Lædi nihil aliud esse, quam ali-
quo affici Malo, statuimus. Naturæ
porrò Malum, quod maximè Malum
existimat vulgus, non rectè sic appellari contendimus: primò quod homi-
nis ultimus finis, ac Bonum sit DEUS;
cui necesse sit adversari, quod homini
Malum est, siquidem aliud nihil sit
Malum, quam Boni privatio. Tum
Mali speciem aliquam esse faciamus:
cum peccati tamen confer atrocitate;
& despere te prorsus annuisti, si Ma-
lum appellare pergis. Teitò denique
non modò Mala non esse, sed Bonis
etiam maximis accensenda demonstra-
vimus, quandoquidem certam ad su-
prenum omnium bonorum viam
struant. Quæ cùm ita sint, quis deni-
que lædere possit? Non ulla profectò
immanis bestia, non elementorum in-
temperies, non hominum, quamquam
infensissimorum, odium, non lictorum
barbaries, non tyrannorum crudelitas.
Dicam, quod mirabilius est, multóque
majus: dictis tamen consentaneum es-
se, verúmque nullus inficiari potest:
non concitatissima inferorum omnium

rabies, quamquam in unum, & idem caput, unà cum rebus omnibus condit is conjurarent, hominem invitum unquam lædere poterunt. Quō verò læderent? Ferrone, aut flammis? Num fame, siti, vigiliis, morbis, egestate? An odio, maledicentiâ, accusatione, vinculis, infamiâ, exilio, morte? Quō, inquam; cùm ista minimè Mala sint? ingentium verò Bonorum sint causa? Sæviant odiis licet inimici; nullum quō lædant, telum invenient. Quidquid immiserint, & quantacumque intorserint vi; non vulnus, sed voluptatem animo feret, feret salutem. Idem fecerint, ac qui Mithridati cicatram propinaret. Nec enim illi mors, verùm cibus venenum fuit. In ignem Salamandram injice; vivet, etiāmque in illo escam, reperiet. Ille est, si volueris, animi tui status, humanis omnibus celsior: (a)

— *Ut altus Olympi*

Vertex, qui spatio vētos, hiemēsq; relinquit,
Perpetuum nullā temeratus nube ferenum,
Celsior exsurgit pluviis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua
calcat.

Aut

(a) *Claud. Cons. Mal.*

Aut si mavis : (a)

*Ut dura cautes undique intractabilis
Resistit undis, & lacestantes aquas
Longè remittit :*

*Sic adversantis fortunæ procellas il-
læsus despicies ; hominumque excipies
furorem immotus : vel inter illa po-
tiùs victor triumphabis : (b)*

Duris ut ilex tonsa bipennibus

Per damna, per cædes , ab ipso

Dicit opes, animosque ferro.

Ex iis , quæ antea produximus , al-
tiùs etiam orationem attollo . Incredibi-
lem tu vide felicitatem , quâ nos beat
æterna Numinis benignitas . Quanta-
cumque fortunæ , vel elementorum ,
vel ferarum , vel hominum , aut etiam
inferorum omnium sœviet immanitas ;
non te , si volueris , lædet ; non attinget .
Stabis Marpesiâ caute durior . Fallor :
corrigo me . Attinget verò te : sed
amabis , ultróque obvius occurres ,
amplecteris , disuaviabis ; téque bea-
tum ejus amplexu prædicabis . Nec
alio ex orbe , vel Utopiâ nescio quâ pu-
tes accersendos , qui tantâ polleant ani-
mi fortitudine . His nascuntur in oris ;
communem hunc nobiscum spirant
ærem : illisque adeò tu , Anander , si

VO-

(a) *Sen. Hippol.* (b) *Her. l. 4. Od. 4.*

voles, annumeraberis. Si quæ ingruunt
adversa ; quid est, quo prohibearis eo
fine illa excipere , ut peccatis olim ad-
missis animum expies , liberésque hor-
rendis illis cruciatibus eorum causâ
post mortem tolerandis ? Cur non , ut
animo robur obtineas, quo mundi frau-
des eludas, voluptatum illecebras de-
testaris , dæmonis odium , ac maligni-
tatem retundas ? ut amabilem illam
omnis recti honestatem consequaris ?
ut promerearis beatam illam, & omni
felicitate absolutam immortalitatem ?
Nōnne, inquam , maximæ tibi erit vo-
luptati ; & tērque , quatérque beatum
te prædicabis, si per illa adversa tibi gra-
dum struis ad horum vel unicum adi-
piscendum ? At quid si omnia daretur
assequi ? Nōnne illorum acerbitatem
omnibus mundi deliciis amabiliorem
inclamabis ? Si denique Christo te com-
militonem illa conjungant ; si imita-
tione proximum illi te faciant , & so-
cium adscribant, quis tibi inter illa sen-
sus esse possit ? An nō totis lateribus
cum Andréâ exclamabis ? O bona Crux,
quæ decorem ex membris Christi suscepisti ,
diu desiderata , sollicitè amata , sine inter-
missione quaesita , & aliquando cupienti
animo præparata ! accipe me ab homini-
bus ,

nibus, & redde me magistro meo ; ut per te me recipiat , qui per te me redemit. Quid enim tali duce optabilius ? quid sociô deliciosius ? Quod si vertimus in delicias , quæ Mala timebantur; quam læsionem , quod vulnus formidas ? Memini viro cuidam aliquando natum in præcordiis apostema : quod medico- rum artem omnem cùm superaret, sensimque vir ille contabesceret ; pro patriâ ponere placuit , quam mox vitam ingloriè morbi vis abruptura erat. In aciem descendit , & in primis ordinibus dimicans confuditur , sed tam feliciter , ut transverberatum apostema purulentam omnem saniem effuderit , sanumque reliquerit hominem. Atque ita , quod amicâ medicorum magna non potuerat vir ille , consecutus est inimicâ. Ad rem nostram hoc appositi : sed casu quod isthinc factum est , fit hîc tuâ voluntate. Ab infensâ manu vulnus accipis ; sed tuâ voluntate confuditur apostema , quo recuperes sanitatem. Lædere voluit ille ; non abnuo ; acri odio ferebatur : sed apostema dumtaxat aperuit : uberem cœlestibus triumphis materiam exhibuit. Parthorum rex Orodes (ille Craessô vi-
cto , & occisô gloriosus) seniô , luctu ob

ob Pacorum filium à Romanis cæsum, ac denique aquæ intercutis vltiō labrabat, neque jam longè à morte. Hanc tamen longum Phraati filio visum expectare. Venenô igitur eam maturare impius constituit. Sed id contrā fuit, nec aliud, quām motā alvō in medicinam abiit : & totius morbi senem allevavit. Hoc tu lædere, & aliquo afficer Malo appellabis ? Non quid voluerit ille ; sed quid revera fecerit, attende. Malum tibi voluit : sed in Bonum ingens commutare, tuæ virtutis est. Tuâ virtute, immissa adversum te tela, in gloriosas, & immortales lauros frondescunt.

CAPUT XIV.

Relinquitur itaque verum id esse : Lædi te à teipso, quicumque læderis.

ANANDER. Necdum animo meo caliginem omnem excusisti, Anicete : quod reliquum est lucis, affunde. Evicisti jam, nec sanè possum infitiari, neminem ab alio lædi posse : cur ex eo non recte sumam, neminem unquam lædi posse ? Nam ab alio si tutus sum, à me profecto nihil timeo. Nōnde Bona nobis omnes volumus : nolumus


mus omnes Mala ; & quām longissimè possumus , amolimur ? ANICETUS. Converte orationem , Anander , & mecum dic : Volumus , quæcumque nobis eveniunt , Mala : Bona . quibus frui possumus , nolumus . Sic enim utrumque fixō , certoque voluntatis decretō ipsi statuimus . ANANDER. Censes igitur arbitrii nostri Bona esse , Malaque ? ANICETUS. Nec in fortunam , elementave , nec in feras , aut hominum animos imperium nobis ullum est : supra voluntatem nostram omnis vis illorum est : sed & supra vim illorum omnem est voluntas nostra . Ne Sphingis nodos , & ænigmata nocte videar , aīnbages omnes dissolvo . Disputationis principiō Malorum esse duo genera demonstravi : Naturæ alterum , alterum Morale . Morale , sive peccatum , Malorum omnium summum , & unum isto nomine dignum esse probavimus . Sed infra hominis esse voluntatem liquet , tum ipsius DEI testimoniō , dicentis : *Sub te erit appetitus ejus ;* *O tu dominaberis illius :* (a) tum schoulis omnibus certum est , atque constitutum , in peccato nihil plūs esse Mali , quām voluntatis : nec illius unquam

quis reus erit, nisi voluerit; et si in caput unum inferorum omnium perversitas conjuraret. De hoc, opinor, nihil disceptabis: affirmabisque mecum, lædi eum velle, quisquis ab illo læditur. Et quia tantum esse Malum, ut cætera cum illo collata in Malis reponi non debeant, illis probavi rationibus, quas ipse negare non potueris: ex illis profecto omnibus conficio, nec lædi quemquam, nec verò posse, nisi à se ipso: quandoquidem, nec Malum omnino sit ullum, nisi peccatum; nec peccato quisquam affici possit ab alio, quam à scipso. Neque hæc negare potes, nisi tui immemor recedas ab illis, quæ volens antea concessisti. De Naturæ Malo major est dubitationi locus. Quamquam enim in Malis illud non rectè reponi docuerimus, negare tamen non possumus longè infelicissimam plerisque vitam per illa Naturæ Mala effici: alios contrà per eadem omni felicitate beatissimos esse confessus es. Id verò quo pacto fieri dicemus, ut quæ his Bona esse, atque adeò etiam deliciosa videmus; eadem aliis Mala sint, & supra modum horrenda? Illos profecto ignis adurit, nî fallor, confoditve ferrum æquè, ac alios: utrosque cur æquè

æquè non afficit? In hac disputatione, si usquam aliàs, suum est momentum illi philosophorum pronunciato: *Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur.* Hi alacres, & invictò animo excipiunt adversa quævis, & rident: & ab illis non modò non læduntur, sed gloriam referunt immortalem. Illi, dum muliebriter horrent, & aversantur; suo ipsi mœtore se fodicant, lancinant, conficiunt. Si dejectò igitur animo laborem caves, hostem declinas, pugnam fugis, in tabernaculum abderis: isthinc otium, & voluptates, & mollia quæque sectaris: quod sequeris, illâ animi mollitie numquam consequeris: sed quæ fugis Mala, illa te asequentur, te cingent, in te irruent, te cruciabunt, te confodient; quia clypeum abjecisti, quia fugis; verbô ut absolvam, quia vis. Telum adversus te in balistâ libratum vides, vides excuti, advolantis stridorem audis; sinistram clypeus armat, nec objicere vis. Non illud est lædi velle? Nudum opponis latus: quid miraris, si ferrum infigitur? Balsamum dextrâ fers, quo dolorem omnem abstergas, claudas vulnus, obducásque cicatricem: illud in terram abjicis. Apprehensumque manu

nu ferrum infigis altius; & contorques,
ac versas per viscera. Quam recte de
aliena manu quereris? Tuam profecto
damna. Dum enim adversa te circum-
stant, & impetunt, si neglectis, quæ jam
antè explicavimus, fortitudinis Chri-
stianæ præsidiis, pueriliter ingemiscis,
si mentis æquitate dimoveris, si despon-
des animum: aut contrà si concipis
odium, vindictam meditaris, sanguinem,
& cædes animo agitas; eodem
adversarii ferro (quod alias imbelli
ne ictu hærebat) in viscera tua tu pe-
netras. Non igitur adversarius, quam-
quam voluerit; non fera, non ignis,
non ferrum, non casus aliquis, aut for-
tunæ malignitas: sed ipse tu destinatò,
& ex certa voluntate tua tibi vul-
nus inflixisti.






PARADOXUM
CHRISTIANUM
LÆDI NEMINEM,
NISI A SEIPSO.
LIBER SECUNDUS.

P R A E F A T I O .

ANANDER. Accidere mihi sentio, quod solem intuenti, maximè si debili sit oculorum acie. Ric enim tantam non sustinens lucem, vacillat oculis, ac nictat: ego incertus animi pendeo, & nescio, quam præfero inconstitiam. Philosophiæ sanctioris arcana esse fateor, quæ doces, Anicete; tam splendida, ut luci ferendæ sim impar: tam celsa, ut ægrè isthuc, oculoque titubante connitar. Atque ex eo fit, ut quamdiu quidem tuæ istæ, quas pro posuisti, ratiocinationes obversantur animo, facili negotio beatam illam mentis æquitatem, quam tantopere

prædicas, tuear. Sed quæ mea vel imbecilitas est, & inconstantia, vel ingeni tenuitas non valentis ea, quæ generatim demonstrata sunt, singulis eventibus objicere; gravis me, nec temere metus incessit, ne primo casus iniquoris incursu, alia menti recurrent, quæ in diversa omnia rapiant. Quamobrem si tranquillitatis illius portum non ostendere dumtaxat, sed in illum me invehere (quod certè maximè velim) tibi fuit animus: quandoquidem thesim jam feliciter explicaris; age, ad hypothesim descende: & quid emolumenti, contraque quid detrimenti, pro nostræ voluntatis decreto, atque animi statu, è singulis possit adversis evenire, ostende. Ita confeceris rem totam, & in fidâ statione navim collocaris.

ANICETUS. Probo consilium. Sic omnibus antè dictis lux certior assulget, & firmiss animis robur addetur. Ita disputationis principiō propositum fuit. Et recensuisti tu quidem, quæ maximè timeri solent, Mala: aciēmque tuam appellavi. Meas item explicavi copias. Supereft ut datō signō congregiamur. Age; quo videtur ordine, tuos in certamch immitte.



CAPUT I.

*Publicæ calamitates, si sapis, non te
lædunt.*

ANANDER. Disputationem hanc auspicatus es, quando me publicas patriæ calamitates deplorantem aggressus consolari, visus es tum mihi quidem justō sublimius, & verò parum consentaneè philosophari: sed in tuam modò sententiam transgressus, cùm mihi tamen diffidam, primum omnium rationibus tuis vires adjungi velim, quo ista reip. adversa perferam fortiter, imò nec illis lædar.

§. I.

Patriæ calamitates non sunt tuæ.

ANICETUS. Opportunè istam disputationis partem urges. Frequentiū nihil, neque fortasse validius aliud quidvis hominum mentes hodie concutit, quam temporum horum calamitates, ut passim loquuntur universi: sed neque lædi te illis, neque alium quemquam, (nisi certè voluerit) imò nec in Malis esse reponendas, docebimus. Ergo nc recto plura per-

misceantur⁹, quæ luci officiant, perturbentque ordinem: quid est, quod potissimum deflebas? ANANDER Quid queris, quas ignorat nemo reip. calamitates? ANICETUS. Tuasne, inquam, deflevisti, an alienas? utrasque enim confundere videris. ANANDER. Illas ipsas defleo, quæ oculis observantur, tanguntur manibus, & universos ceu indagine, & retibus involvunt hostiles incursions, depopulationes, direptiones, incendia, cædes, aliaque sexcenta heu! patientibus nimis tristia. ANICETUS. Et illa nimirum censes tua. At profecto vel in publica hac, quam luges, calamitate, fortunæ tibi sunt intactæ, integra libertas, corpus illæsum: vel contrâ eversæ sunt illo publicæ rei turbine fortunæ, libertas oppressa, in ultimum capit is discriminus adductus es. Si hoc: tantisper exspecta: singula sic discutiam, ut non illis te lædi, atque adeò nec tua esse mox ipse fassurus sis. Si prius: quid gemis, cum tua omnis incolumentas tibi perstet? Quæ ad te non pertinent, atque adeò aliena sunt, quomodo te lædunt; & quâ causâ deploras? ANANDER. Imò dic, Anicete, quomodo non lædant, aut aliena sint, quæ patriæ sunt;

sunt; quā homini omni cordato nihil dulcius, nihil carius, magis conjunctum nihil esse debet? ANICETUS. Quam, amabo, dicis patriam illam, cui cum tanta charitate jungi te prædicas? ANANDER. Patriam certè appello regionem hanc, in quā natus sum, & vivo. ANICETUS. Quid hoc, Anander? Patriam dicis agros, saxa, rupes, silvas, flumina, mœnia, turres, portas? Et si hæc labefiant, aut fœdentur hostili ferro, flammâve, aut etiam vetusta te: tu te lædi putas? tu te miserum inclamabis? Quā causâ sic amas, obsercro? quā devinciris? In ea natus sum, & vivo, inquis. Istâne jungis necessariò, ut separari nequeant? Ex eo sanè conficerem, nullam plerisque patriam esse; qui nimirum in unâ regione nati, vixerint in aliâ. Si possunt sejungi, satisque sit alterum ad patriæ nomenclaturam; multas nonnulli patrias numerabunt, & hanc, in quā nati sunt, & illam, in quā adoleverint, & aliam in quâ senescunt. E pluribus quam dices caram illam, & suavem? pro quâ mori eliges? Quid si alteram altera bellô petierit? pro quâ pugnabis? Si pugnabis, in patriam certè pugnabis. Utrius calamitates miserum te facient?

Aut hīc te felicem dices, infelicem isthīc? Arctiorem sequar necessitudinem, inquies. Rectè profectò: sed cum quā dices arctiorem esse? Si ubi vitam agis? tuam ibi fortasse patriam constituis? ubi nec pater unquam, nec majorum ullus, nec sanguine junctus antehac vixerit. Cur ergo tam cara sit, & suavis? Cur pro illâ vitam pones, quā in illâ paucis dumtaxat annis egisti? Sin autem eligis illam, in quā vivere cœpisti; an illi te putas obstrictum, quia uterō effusum maternō priore excepit? Si istud beneficium arbitraris, quota pars cubilis, tibi forsitan etiam ignoti, istam fibi beneficentiam vindicat? Toti verò regioni quid ex eo debes? Si quia per illam gressu necdum firmato reptare, aut primas voces balbutiens formare cœpisti; quantum id est in illâ vixisse, pecudi non multūm absimilem? In hac denique tuā patriā civibus tuis pecudes, ac feras anumeres, necesse est, quas similiter nascentes eadem tellus excepit. Si istorum te pudet, vide, quid illi patriæ debeas: & æquumne sit propter tectorum, aut murorum ruinam, reliqtamque agrorum culturam, animō turbari, lædive. ANANDER. Evicisti prorsus, Anicetè, si patriæ rationem

tionem omnem explicâsem. Sed quia potiorem partem suppressi, aliter tibi philosophandum erit. ANICETUS. Quidquid pro patriâ habes, libenter audio: eloquere. ANANDER. Patriam, ad quam amandam, atque etiam morte propugnandam ipsius naturæ ductu, ac imperio ferimur, existimo equidem illam esse mortalium societatem, in quâ natus adolevi, cuius legibus, & institutis imbutus, cuius authoritate, potentiaque defensus sum. ANICETUS. In istum modum rectè magis quam antea plerasque tamen difficultates contra solum natale objectas non evades ista definitione, si, quemadmodum superiorem, ita hanc in partes resolvero. Sed cramben repetere non placet. Subjungo aliud. Quid si in illa multitudine pauci te nôrint, ament etiam pauciores, oderint verò fortasse plurimi, graviterque persequantur? Istam tu patriam, caram, suavem, amabilem judicabis? Ejus adversos casus censebis tuos? illis indolebis, inclamabisque non aliter, ac graviter saucius?

ANANDER. Argues tu, si fecero? Authors profectò sequerer omni antiquitate laudatissimos: quos patria, cùm mille beneficijs obnoxia, ingratitudi-

nem tamen reposuisset, sui nihilò minùs perstudiosos sensit, ac propugnatores. ANICETUS. Suam illis gloriam detrahere non 'est instituti sermonis. Hoc mihi constat: remp. inquis utentem legibus non modò non amandam esse; sed oculis siccis relinquendam omnino, si corrigi nequeat: si certè possit, danda omnis opera est, ut educas Malo, quod omnium est maximum & solum reip. Malum censeri debet: gloriāmque mereberis immortalem. ANANDER. Quando reip. fateris aliquod esse Malum, quomodo meum esse infitiaberis, qui corpori isti ceu membrum accenseor? ANICETUS. Politici corporis non eadem est ratio, quæ physici. Hujus membra necessitate quadam; illius vero voluntate singulorum, & arbitrio in corpus unum ut coalescunt, ita perseverant, aut dissolvuntur. Quo fit, ut si in judiciorum corruptelam, contemptum legum, omnis juris permissionem consentis, corporis illius male affecti membrum te voluntate tua constituas, atque vulnus accipias; sed à teipso, non alio. Si contrà damnas illam in rep. honesti subversionem: secessionem facis; & hoc

hoc facto quasi non civis, nulla per-
versitatis istius contagione pollueris.

§. 2.

Non sunt, quæ dicuntur calamitates.

Sed age: ne plus æquo tibi videar au-
sterus: faciam patriam ita caram esse
debere, ut, quæcumque pertulerit vul-
nera, te ipsum putas perferre. Hoc in
primis certum accipe. Illò te lædi ple-
numque credis, quod nec tangeris. Te-
lum ibi times, ubi nec ejus umbra est.
Tenues umbræ sunt, & speciem Mali
præferunt inanem, quas objicis reip. ca-
lamitates. Dic, age: miseram tu pu-
tas fuisse remp. Romanam tum, quando
ad exercitum ductandum ab aratro vo-
cabantur imperatores? Ego sanè feli-
cem arbitor. Ferrum amabant, quo
hostem frangerent: quo sui victorem
ditarent, aurum nesciebant. Quid ab
hoste timuissent, quibus vix quidquam
etipi poterat; & vita durior mortem
pœnè reddebat optabilem? Atqui ia-
stâ rerum tenuitate populos, regesque
domuerunt opulentissimos. Utinam,
inquietabat G. Pontius Samnis, (a) ad il-
la tempora fortuna me servâisset, & tunc
essem natus; quando Romani dona ac-

cipere cœpissent ! non essem passus diu-
tius eos imperare. Venit sanè post
ætas illa , quā verè vates occinue-
runt : (a)

*Paupertas fugitur ; totoque arcessitur
orbe ,*

Quo gens queque perit.

Nam profectò ubi deliciis, opibúsque
circumfluere cœperunt , cœperunt &
vinci ; barbarisque pauperie , & labo-
re duratis cesserunt in prædiam. Im-
perium fortasse retinuissent, si, prius-
quam omnis virtus emarcuerat , viator
aliquis hostis , illatâ licet calamitate ,
mollitiei materiam sustulisset. Nec
insolens illud , & inauditum arbitrare.
Oraculô edidit Apollo Pythius , (b)
Spartam nulla re alia , quām avaritiâ
esse perituram. Quod non solum La-
cedæmoniis , sed omnibus opulentis
populis prædictum esse , Tullius existi-
mat. Alexander copias suas , non jam
ut antè expeditas , sed Persarum spo-
liis graves , cùm pugnæ , vel itineri ani-
madverteret ineptiores , impedimentis
omnibus flamas injecit , postquam
fuis prior ipse facem subdidisset , ut
exemplø suo tantarum opum jacturam
leniret. Ferrô victoria paratur , non
aurô.

(a) *Luc. I.* (b) *Cic. 2. Offic.*

autem. Equorum suorum phaleras omnibus Helvetiorum impedimentis esse pretiosiores audiit Carolus Pugnax à sapiente sene illorum oratore. Cum illis tamen congressus, ingenti suorum strage tertium factâ, infeliciter periit. Paradoxum dizes, sed verum fortasse fateberis: victores prudentius facturos, si victis opes non tollant, sed novas accumulent; quo divitiis, deliciisque magis fracti, fortunæ regressum sperare non possint. Sic ocreas viscō plenas simiis venatores objiciunt, quo fugam impediāt. Florentissimas ducebat copias Alexander Farnesius, Parisiis suppetias latus: quid magis fregit, quam à Gallis relicta suavissimorum copia racemorum? Non ergo direptiones urbium, villarum incendia, incultos agros, negotiationes, commerciaque impedita deploraveris: mollitiei fortasse, graviorūmque peccatorum materialē per illa tollit DEUS.

A N A N D E R. Quid ad cædes civium, imò quandoque strages respondebis? Immani quippe reip. detrimento fieri certum est.

A N I C E T U S. Et certum est, ingenti non infrequeñter emolumento. Nōnne sanguis tuendæ corporis incolumentati necessarius est? At quam sæpè
venâ

venâ sectâ copiam non modicam educi præscribunt medici ? Exonerandam prægravante turbâ, fortassis etiam aliquando noxiâ, remp. prospicit è providentiae suæ speculâ Numen ; & sœvam immittit pestem, aut pugnam adversam, quæ vel abundantem multitudinem imminuat, vel noxia publico capita tollat. Et nos homuli divinorum ignari consiliorum ista deploramus, dolore conficimur, & de DEI bonitate querimur interdum. ANANDER. Stragem animorum ad inferos præcipitantium quis saleem non jure defleat ? ANICETUS. Lacrymis vel sanguineis numquam satis luxeris illorum sortem; sed ex eo tua nihilô deterior est. Animâne tranquillitatem speras puriorrem, aut sinceriorem tibi charitatem optas, quam in cœlis beati fruantur ? Atqui non raro vident illi è suo felicitatis æternæ domicilio nonnullos, quibuscum suavissimâ juncti necessitudine, plerumque & sanguine proximi vixerunt, tartareis damnatos suppliciis; nec hilum tamen felicitati decedit, aut charitati. Divinis nimirum acquiescunt decretis; accessurâmque Divinæ justitiae gloriam ex illorum æternis cruciatibus, certum habent; etiâmque

que illâ causâ exultant. Possimus igitur & nos charitate , animique æquitate nihil imminutâ extremam illam civium infelicitatem ferre.

§. 3.

Imò bona sunt calamitates.

VErum quod ingenti denique solatio tibi sit, ea Divinæ pietatis in homines est propensio , ut æternum illum interitum , & periculo plenam in illum ruendi occasionem antevertat DEUS publicis illis calamitatibus , cladibus- que ; & cœlum longè plurimis aperiat, quibus æternūm aliās mansisset occlu- sum. Vin' exemplum ? Prodit lucu- lentum Gofridus. (a) Armatus occi- dens ferme universus in orientem pro- fectus erat , barbarica servitute Palæ- stinam liberaturus. Ingentes duxerat copias Conradus Imperator : duxerat & Francorum Rex Ludovicus. Nul- lâ re memorabili gestâ, domum inglo- rii post biennium redierunt cum exiguis reliquiis maximorum exercitu- um. Hoc cō tristius accidit, quod no- bilissimos triumphos visi fuerant cæli- tes polliceri prodigiis innumeris per S. Bernardum Clarævallensem perpetra- tis.

(a) *In vita S. Bernardi.*

tis. Sed alia fuerunt cœli consilia. Nec enim (inquit Gofridus) ex illâ profec-
tione Orientalis liberari , sed cœlestis me-
ruit impleri Jerusalem , & latari. Quod
si placuit D E O , tali occasione plurimo-
rum eripere , si non Orientalium corpora à
paganis , Occidentalium certè animas à pec-
catis ; quis audent illi dicere : Quid fecisti
sic ? Aut quis recte sapiens illorum sortem
magis non doleat , qui ad priora , vel pejora
fortè prioribus scelera redierunt ; quād eo-
rum mortem , qui in fructibus pœnitentie
purgati , variis tribulationibus , Christo
animas reddiderunt ? Alioqui quantum-
libet dicant Ægyptii , dicant filii tenebra-
rum , qui nes veritatem videre valent , nec
proferrere : Callidè educit eos , ut interficeret
in deserto. Patienter tolerat Salvator op-
probrium , quod santarum animarum sit-
lute compensat. H abes h̄ic , Anander ,
quo reimp. lædi putas ? H abes quod lu-
geas ? Aliud accipe multò certius te-
stimonium. B. Christina (illa , quam
acerbissimi cruciatus , pro animabus
purgatorio igne liberandis tolerati , Ad-
mirabilem toti mundo fecerunt) insi-
lenti aliquando mentem gaudio perfu-
sa , tenere se non potuit , quo minus
vultu proderet , quod animo sentiebat.

Stupentibus, quibuscum fortè tum agebat, & causam quærentibus respondit: Beatas omnes in cœlo mentes unâ cum ipso Christo Domino magna incessit lætitia, inquit; quod innumeris mortalibus lata, & facilis ad æternam salutem aperiatur porta. Sed cùm præterea sciscitarentur, quæ esset illa porta. Hodie Hierosolymam ait, expugnârunt barbari. Cohorruisti ad responsum, Anander? Sed DEI consilium audi. Sanctæ civitatis recuperandæ gratiâ, (subjungit beata illa virgo) hominum maxima multitudo sacram amplexa militiam, ad vitam sanctiorem convertetur; fusoque plurimi sanguine, Servatoris morti vicem reponent. Hæc illa. Mansit nihilominus in barbarorum potestate Hierosolyma: & maximæ illius hominum multitudinis melior pars morbis, fame, ferro interiit, non sine magnâ Christiani nominis ignominiâ. Hic tu, opinor, Superis exultantibus, insolentique triumphantibus gaudio, vultum depresso, atraque mœroris nebulâ frontem obduxisses. Ni mirum nisi felicitate rideant omnia, fulgeant auro; fuso hostium innates sanguini, incruentâ quotidie triumphes victoriâ, temp. tu censes,

&

& contendis esse deploratam. Beatam miraris, & optas Romanorum rem publicæ omnes latè finitos victoriis veluti perpetuatis debellavit. Contrà nascentis Ecclesiæ statum vel olim per universum orbem Romanum, vel in Japoniâ hodie, horres, aversaris; quod contemptu deprimatur, obruatur odio, egestate conflictetur, cruciatibus torqueatur, cædibus propè deleatur. Sed inanem tu corticis speciem exploras oculô: rem ipsam intelligentiâ non pervadis. Inferorum carceres nónne opplevere Romani illi victores, & horrendis æternùm cruciantur tormentis? Quid igitur illa invicti nominis gloria? Ubi nunc triumphi omnes illi? Hoc unum supereft, ut præteritæ felicitatis, gloriæque memoria turpiorem faciat, & acerbiorem præsentis status calamitatem. At prisca illa Ecclesia vel nova Japonum, quantos exercitus devictis hostibus inclytos, ad Cælitum æternos triumphos invexit? Ed sane majore gloriâ, voluptatéque limpido-re, quod gravioribus exantlatis laboribus. Quas ergo publicæ rei calamitates appellamus, cum numquam, nisi proposito majore bono, providentia Numinis permittat evenire; rectâ sane

viâ procul aberras , quando vel illis
temp. vel teipsum reip. causâ lædi que-
reris ; nec quem in eis fructum Divina
constituit pietas , colligere studes.

CAPUT II.

*Neque paupertatem malam redē
appellaveris.*

§. I.

*Dives est , non qui multa habet , sed
qui nihil cupit.*

ANANDER. Omitto publica : pri-
vatis propriūs urgemur. Inter hæc
Prior occurrit pauperitas. Heu ! quan-
tum Malum existimant ? Ejus depel-
lendi gratiâ quos sustinent labores ?
quæ subeunt pericula ? **A NICETUS.**
Tu vero quid , Anander ? Grande Ma-
lum cum illis existimas ? **ANANDER.**
Haec tenus certè : deinceps aliter opto.
Nec tamen illas animi vires sentio , qui-
bus ausim illa despicere , quæ pauper-
tam consequuntur. **A NICETUS,**
Tam amari velim illa , quam ista con-
temni , quibus frui se divites autumant.
ANANDER. Paucis , Anicete , persua-
debis. Alia omnia censem longè plu-
rimi. **A NICETUS.** Illi nimiruni , qui
tecum

tecum ignorant, quem appelles divitem. ANANDER. Illum ego divitem dico, cui suppetunt affatim divitiae. ANICETUS. Nónne & beatum eumdem, quem divitem? Beatam nimirum dicis avari cujuslibet Euclionis arcam, ut cui suppetant affatim divitiae. ANANDER. Claudit illa profectio divitias: sed utatur necesse est, quem divitem, beatumque nuncupamus. Nec enim divitem ego Mydam, nedium beatum existimaverim, cui sic in aurum contactu vertebantur omnia, ut rigescerent etiam, & indurarentur, quæcumque vel esculenta primis labris artingeret, vel poculenta. ANICETUS. Quid si tuus ille dives opibus suis abutatur vel ad insontem quempiam opprimendum, vel ad judiciorum corruptelam, vel ad occupandam tyrannidem, vel ad aliam denique quamcumque injuriam? Illum tu beatum censem? Ego sanè feliciorem illum arbitrarer, si nullas unquam possedisset divitias. Ecce quem describis divitem. Sed age: faciamus multas possidere te divitias: adde, si lubet, partis numquā abusurum: num te propterea felicem prædicabo? Quænam ista, quæso, felicitas? Imò nec dives es.

Nam

Nam, ut multa possideas, plura profecto sunt alia, quæ numquam attinges. Dic, Sodes : utrum judicas ditionem ? Alexandrûmne ; qui audito Anaxarcho plures esse mundos contendente, ingemuit, quod ne unō quidem adhuc potitus esset : angustaque mundi visa est illi possessio, quem Deorum omnium domicilio sufficere credebat : an Diogenem, qui neglectis Alexandri opibus omnibus, nihil ab illo ferre voluit : istudque dumtaxat petiit, cum apricari vellet, ut sibi ne faceret umbram ? Huic profecto nihil, illi multos defuisse mundos vides. Epictetus sanè, quis esset dives, interrogatus, respondit : Cui satis est, quod habet. Contrà

Numquam dives agit, qui trepidus genens

Sese credite gentem (a) Nam ille revera

*Semper inops, quicumque cupit (b) quia
Multa potentibus*

Desunt multa. (c)

Illumque nemo nescit pauperiem, cui plura desunt. Cui verò plura desunt, quam cui nunquam satis est ?

Crescit

(a) Boëth. Conf. l. 2. (b) Claud. I. Ruff. (c) Heracl. l. 3. Oda 16.

*Crescit indulgens sibi dirus hydrops;
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo*

Corpore languor.

*Totos mundos posside: semper in-
ops eris, si semper concupiscis. Ani-
matus tuus oportet se judicet divitem, non
hominum sermo; neque possessiones tuis.
Nam cui quæsito sit opus, quis unquam,
hunc verè dixerit divitem? Etenim divi-
tjarum est fructus in copia: copiam autem
declarat satietas rerum, atque abundan-
tia: quam tu quoniam numquam assequer-
re, numquam omnino es dives futurus.*

(a) *Cupiditatem igitur compescere, si
dives esse vis, si beatus. Nec enim
beatus dici potest, cui bonum aliquod
deest. Deest illi sane, qui aliquid cu-
pit. In te istud evince, ut tuis con-
tentus, nihil cupias: & cum Comico
dicere poteris! Omnia habeo, neque quid-
quam habeo: nil cum est, nil deficit tamen.*

(b) *Dives est ergo, non qui multa ha-
bet; plura quippe sunt, quæ non ha-
bet: nec qui omnia habet; is enim
nullus est: sed qui nihil cupit, is de-
nique dives est; quia, quod vult, id
omne habet. Nam profectò si pauper
ille solus est, qui sibi videtur pauper, quia
nimi-*

mirum sibi deesse quidpiam dolet: ille revera dives, qui sibi videtur dives, cùm deesse nihil putet; & suis contentus, nihil cupiat: Comprobatum oraculo quondam id ferunt. Gyges regno Lydiæ armis, & divitiis abundantissimo inflatus, Apollinem Pythium sciscitatum venit, an quisquam mortalium se effet felicior. DEUS ex abdito sacrarii specu voce missâ Aglaum Psophidium ei prætulit. Is erat Arcadum pauperissimus; sed ætate jam senior, terminos agelli sui numquam excederat, parvuli ruris fructibus, ac voluptatibus contentus. (a) Plura (nemo dubitat) Gyges possidebat: sed & plura, quam Aglao derant. Omnia tenere numquam possumus: nihil concupiscere semper possumus. Ita magno DEI beneficio factum est, ut pauper nemo sit, nisi qui voluerit esse: omnis ille contra dives sit, qui esse voluerit. Quare si rerum egestate premeris, de alio ne querere: tua confoderis voluntate. Vis excusam à te paupertatem? Ne quidquam concupiscito: dives es.

§. 2.

Natura paucis contenta.

ANANDER. Audio quæ disputas vero consentanea. Nec infitiarī possum, felicem illius animi statum esse, qui suis contentus, nihil cupit. Sed amabo; quo præditum animi robore necesse est illum esse, cui cùm plurima desint ad vitam tolerandam vel necessaria, vel sanè percommoda; illa tamen minimè concupiscat? Id verò humānum nemo facilè judicaverit. **ANICETUS.** Ne me rigidorem censeas, Epicurum apud Senecam audi. (a) *Si ad naturam vives, numquam eris pauper: si ad opinionem, numquam dives. Exiguum natura desiderat, opinio immensum.* Tergiverfaris, ubi stetit molliculus ille Philosophus? At idem certè Seneca non paulò fortius. *Panem, & aquam natura desiderat: nemo ad hoc pauper est.* Intra quod quisquis desiderium suum claudit, cum ipso Jove aē felicitate contendat. Quid severitatem miraris? Non enim horrenda res est aqua, & polenta, aut frustum hordeacei panis: sed voluptas est ex his capere voluptatem. Neque mollius fecisse veteres illos existimes,

(a) Epist. 16.

stimes, quām dixisse. Sibi relinquebatur olim ab omnibus hominibus Diogenes, cūm neque propter egestatem quemquam ipse reciperet; nec ab ullo reciperetur propter cynicam agentis, aut loquentis acerbitatē. Animo dejectus aliquando quando aliud non suscipiteret, quo vitam toleraret, foliorum extrema sumere cœpit. Sed opportunum mūris spectaculum omnem mox abstersit mōrorem. Illum advertit frustula decidentia corrodere, eisque vesci. Animus rediit hoc viso: risitque suam dejectionem. Mus hic, inquit, Atheniensium lautitiam non requirit. Quare tu Diogenes ægrè fers te cum Atheniensibus non cœnare? Naturæ facilitatem à mure philosphus didicit: cur non ab ethnico Christianus? Divitiis æquo animo caruit ille; rejecerunt etiam alii. Ad Hannōnem multa offerentem ita rescripsisse fertur Anacharsis: (a) *Mibi amictus Scythicum tegmen, calceamentum solorum callum, pulpamentum fame, Lacte, caseo, carne vescor.* Quare ut ad quietum licet venias. Munera autem ista, quibus es delectatus, vel civibus tuis, vel Diis immortalibus dona. Quid Xenocratem

prædicem ? Cui cùm legati ab Alessandro quinquaginta talenta attulissent, adduxit eos ad cœnam in Academiam ; apposuitque quantum satìs esset, nullo apparatu. Cùm postridie rogarent eum , cui numerari juberet, Quid ? vos hesternâ, inquit, cœnulâ non intellexistis, me pecuniâ non indigere ? Imperatorem etiam dabo ; ne dubites in summis posse paupertatem emicare. Ad focum (a) in domunculâ rapas coquebat Curius, quando Samnitium adfuerunt legati ; ejusque gratiam aucupaturi, magnam auri vim obtulerunt. Repudiavit ille , quodd diceret : Auro non opus esse ei , cui raparum cœna satîs esset : & multò pulchriùs esse aurum habentes vincere , quàm aurum habere. Sed durè hinc educatum non cogitasse delicias, fortasse non miraberis. Darium accipe voluptatibus innatum. In fugâ cùm aquam turbidam , & cadaveribus inquinatam bibisset, negavit unquam se bibisse jucundiùs. Numquam videlicet sitiens biberat : nec esuriens Ptolemæus ederat. Cui cùm peragranti Ægyptum , comitibus non consecutis , cibarius in casâ panis datum esset, nihil visum est illo pane jucundum.

eundius. Non ægrè nimis naturæ quilibet obsequitur: cui, si cupiditatem sedaveris, vix deesse quidquam potest.

§. 3.

Amicorum fidem paupertas explorat.

ANANDER. Ut tibi dem, illis carecere non esse durum, quæ jam explicasti: quid dices, si præcipuum ostendero deesse societatis humanæ vinculum, ac solatum? Amicitiam sic appello: quam omnem tollit paupertas. (a)

Dum juvat, G' vulnus ridet fortuna sereno,

*Indelibatas cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit; fugiunt: nec noscitur ulli,*

Agminibus comitum qui modò cinctus erat.

Non satis sit tanti boni jactura ad paupertatem omni pectore fugiendam; prosequendas contrà divitias? ANICETUS. Magnum est, Anander, homini bonum amicitia: de quo mox dicere, mihi propositum est. Sed quod ad rem facit: amicitiam ajo paupertate numquam tolli. Quid miraris, & plenas

(a) Ovid. I. Trist. eleg. q.

exemplorum manus ostentas? Amicos existimas tu fuisse, qui reflante fortunâ fugiunt? si te amâissent, & tibi modò adhærerent. Sed quam amabant fortunam, jam fugientem etiam sequuntur, te relicto. Amicitiam (a) si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus, (inquit Tullius) non erit ista amicitia, sed mercatura quædam utilitatum. Prata, ♂ arva, ♂ pecudum greges diliguntur isto modo; quod fructus ex iis cupiuntur. Hominum charitas, ♂ amicitia gratuita est. Quàm ergo falluntur, & quibus se periculis objiciunt, qui fortunæ suæ amatores amicorum albo inscribunt, suâque illis plerumque capita credunt? Namertes (b) aliquando cùm beatus prædicaretur, quod multos haberet amicos; quæsivit quonam modo periculum faceret, sincerumne, ac probum haberet amicum. Id cum alter fassus se nescire, discere cuperet: Per adversam, inquit, fortunam. Non igitur, quâ intereat amicitia, pestis est paupertas; sed quo probetur, lapis Lydius. Nam (c) quod divitiis non potes scire, paupertate scies. Illa veros, certos-

que

(a) Cicer. l. r. de nat. Deor. (b) Plut. in Laco.

(c) Sen. ep. 20.

que tenebit amicos. *Discedet*, quisquis nonte, sed tua sequebatur. Magnum id esse Bonum nemo prudens negaverit: magnique Boëthius facit. (a) *An hoc inter minima existimandum putas*, (inquit,) quod amicorum tibi fidelium mentes hæc aspera, hæc horribilis fortuna detexit? *Hec tibi certos sodalium vultus, ambiguosque secrevit*: *discedens suos abstulit*, tuos reliquit. *Quanti hoc integer*, (b) (ut videbaris tibi) fortunatus emisses? Ad eò ut, si defint cætera; ob hoc unam emanda sit paupertas, quod à quibus ameris, ostendit. (b)

§. 4.

Secura est paupertas, & extra periculum.

ANANDER. Seu facti sint amici, seu sinceri, interesse non multum arbitror, saltem ad mala propellenda. Nam qui male mihi volunt, absterrentur plerumque multitudine, potentiaque eorum, qui sequuntur. Si pauper fuero, & ab omnibus desertus, etiam vilissimo cuique licebit laceſſere: ejusque injuriis obnoxium patebit caput. ANICETUS. Palinodiam cane, mi homo; & in divitem à paupere transferistiuscemodi metum. Quippè si licto-

G 4

ribus,

(a) Boëth. l. 2. cons. pr. 6. (b) Sen. ep. 28.

ribus, si corporis custodibus, si totis
stipetur agminibus;

*Multis terribilis caveto multos:
& sœpè ferro illo cadit, quod pro se
stringi jubebat, & acui. Miraris? Tu-
cum nihil vel ambitio, vel cupiditas re-
linquit. Et in illis periculis.* (a)

*Quisquámne regno gaudet? O fallax bo-
num!*

*Quantum malorum fronte quam blan-
dâ tegit!*

*Ut alta ventos semper excipiunt juga:
Rupemq; saxis vasta dirimentem freta,
Quamvis quieti verberant fluctus maris.*

*Imperia sic excelsa fortunæ objacent:
Eaque quo celsiora, quo hominum oculi
beatiora, hoc validiora ad odium,
& cædcm irritamenta. Sed contrà* (b)

— *O vita tuta facultas*

*Pauperis, angustique laris! O munera
necdum*

Intellecta Deum!

Nullum timori locum faciunt. (c)

— *O quantum est bonum*

Obstare nulli, capere securas dapes

*Humi jacentem! Scelerâ non intrans
casas,*

Tutusque mensâ capitur angusta cibus.

Ve-

(a) *Sen. in Oedip.* (b) *Lucan. l.3.* (c) *Sen. in
Herc. furente.*

Venenum in auro bibitur.

Pectora pauper secura gerit.

Tenet è patulâ pocula fago,

Sed non trepidâ tenet ipsa manu.

Cespes Tyrio mollior ostro.

Solet impavidos ducere somnos.

Aurea rumpunt tella quietem:

Vigilesque trahit purpura noctes.

Multos invitant ad facinus opes.

Nullum est in paupertate sceleri præ-

mium. Eâ causâ nudum latro dimittit:

Et in obsessâ viâ pauperi pax est: ait Se-

neca (a) quâ ut fruaris, redige te ad par-

va, (inquit) ex quibus cadere non possis.

Inest paupertati, sine quâ nihil est jucun-

dum, securitas. Quid viatori de summa

Pauperie latrones auferre possunt? Nam

profecto nihil amittit, qui nihil habet.

§. 5.

*Expedita est ad virtutem sectandam
paupertas.*

ANANDER. At ecce quantum in paupertate malum retegis? Securum ait pauperem, quia nihil est, quod tollatur. Prædæ spes in divitem siccariū armat. Nimirūm nisi pauper effet, flagitosus non effet: atque adeò negat Aristoteles fieri posse, ut qui eget,

rectè vivat, bene publicam rem curet; sapientiæ se dedat. Divino etiam certum est oraculo : (a) *Propter inopiam multi deliquerunt: & qui quærit locupletari, avertit oculum suum.* ANICETUS. Certum est, Anander : propter inopiam exosam deliquerunt plurimi : propter amatam nemo. Locupletari non quærant, nihil concupiscant, suâ contenti sorte vitam agant modestam ; & facinora non cogitabunt. (b) *Cui cum paupertate bene convenit, dives est. Non quis parum habet, sed qui plus cupit, pauper est;* & verò insipiens ; ut qui suâ se cupiditate finat abduci , quod non deberet. Quippè divitiæ apud sapientem virum in servitute sunt, (ait Seneca) apud stultum in imperio. Sapiens divitiis nihil permittit ; stultis divitiæ omnia : sapientiamq; animo excludunt istâ licentiâ. Ita multis ad philosophandum obstatere divitiæ : paupertas autem expedita secura est. Aut ergo pauperis, aut pauperis similis, si animo vacare vis. Ea fuit olim mens Cratis Thebani, hominis aliquando divitissimi. Cùm ad philosophandum Athenas pergeret , magnum auri pondus abjecit : neque putavit se & virtutes, & divitias simul possidere. Thebani-

(a) Eccles. 27. (b) Sen. ep. 2.

baide viſ exemplum, ſed illuſtre arceſ-
ſam? Vixit ibi (a) Justino imperante
Eulogius vir infimæ fortis, arte, & con-
ditione ſtructor muralis, cui census om-
nis in manibus, & trullâ. Nihil eo mo-
deſtius, nihil temperantius, nihil in ege-
nos officiosius, nihil eo sanctius, quam-
diu pauper vixit. Raram virtutem ad-
miratus Daniel quidam anachoreta, cel-
ſore fortunâ dignam iudicavit: mul-
tisque precibus à DEO divitias extorſit,
quamquam ejus vota improbante, ne-
gantéque eſſe è re Eulogii. Anacho-
retæ perſuaderi nihil potuit. Tantam
ille virtutem ſubverti poſſe non crede-
bat: atque adeò ſe vadēm obligabat.
Effoſſo igitur theſauro dives Eulogius,
mox aliam mentem induit: & qui
pauper ad cœleſtia totus anhelabat, ni-
hil dives, niſi palatinos honores medi-
tatur. Eo conſilio Constantinopolim pe-
tit: & prætoriæ inſcriptus militiæ, eo
ſe per omnes gradus promovit, ut Justi-
ni Auguſti prætorio præficeretur. Mu-
ltoſ ſuit opibus tantam addidiffe digni-
tatem; ſi cum utrisque virtutem reti-
nuiffet. Ambitio, ſuperbia, aliorum
contemptus, & oppreſſio, luxus, libido,
& quæ non alia ejuscemodi monſtra?

G 6

divi-

(a) Paul, Sylogus l. 1. c. 48.

divitias, & honores consequi solent.
Interea visus est sibi Daniel ad Dei ju-
dicis tribunal rapi, & pro Eulogio va-
dem ad atrocia supplicia damnari. Si-
bi redditus Constantinopolim abit. Nec
Eulogium invenire difficile fuit: fuit
audientiam obtinere. Post aliquod heb-
domadas ad colloquium ægrè admis-
sus pannosus ercmi incola, non diu au-
ditus est. Ingratum erat primæ sortis
memoriam revocari, exprobrati præ-
sentis vitæ delicias, & vitia. Domo
exturbatum, indignè fustuario præto-
riani milites multârunt. Hic Daniel
oculos aperuit, & vidit è re Eulogii
non esse honores, & divitias. DEUM
ergo rogat obnixè; ad pristinam pau-
pertatem reducat. Audiit Deus, quem
homo repulerat. Justini imperium Ju-
stinianus exceperat. In illum seditio-
ne populus concitatur; & cum populo
Eulogius. Sed hic seditione armis
compressâ, clam profugere coactus est.
Fortunis omnibus Augusti fisco addi-
ctis, in patriam rediit. Ad trullam
redactus, desuetâ jam dudum arte vi-
tam in occulto tolerare occœperat. Oc-
currit aliquando Danieli, & supplex
rogavit, si non splendidam, at certè
commodiorem à DEO fortunam impe-
tra-

traret. Negavit ille constanter, experimen-
to se doctum affirmans, egestatem
illi per necessariam esse. Alieno malo
utinam saperemus! Nos suffarcinati
auro, Christum pauperem sequimur; **C**
sub praetexta eleemosynæ, pristinis opibus
incubantes, quomodo possumus aliena fide-
liter distribuere, qui nostra timide reser-
vamus? Plenus venter facile de jejuniis di-
fputat: ita Hieronymus (a) divites in-
secatur: at paupertatem prædicat
Chrysostomus noster: (b) *Manuductrix*
est quædam in viam, quæ dicit ad cælum
unctio Athletica, exercitatio quædam ma-
gna, **C** admirabilis, portus tranquillus.
Non ergo vitiis paupertas viam sternit,
non virtuti ponit obicem. Pleni sunt
primorum Ecclesiæ principum libri
præconiis, & laudibus paupertatis:
plenæ quondam solitudines, plena ho-
die toto orbe cœnobia exemplis eorum,
qui contemptis opibus per paupertati-
tem ad ardua virtutum connituntur.
Exhorruerunt nimirum ad illa commi-
nantis Christi fulmina: (c) *facilius est*
camelum per foramen acūs transire, quam
divitem intrare in regnum cœlorum. Hac
contrà commendantis paupertatem ad-

G 7

hor-

(a) Hieron. ad Paulin. (b) Chrys. ser. 18. in ep. ad
Hebr. (b) Matth. 19.

hortatione exarserunt in illius amorem.
*Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia,
 quæ habes, & da pauperibus.* At super
 omnia, quid certius, quid ipsius Christi
 exemplo potentius? Quid? nonne à
 stabulo Bethleemitico ad ipsam in Cal-
 variâ crucem arctissimo nexu pauper-
 tam ita complexus est, ut sponsam
 charissimam?

Ne dubita igitur: neque ullam vir-
 tuti labem infert paupertas: neque ve-
 rò ullum homini vulnus infligit. A
 cupiditate suâ læditur, quicumque læ-
 ditur: & plura concupiscono, non mo-
 dò quæcumque secum bona defert pau-
 pertas, abdicat; verùm & omnibus,
 quæcumque secum cupiditas trahit,
 malorum agminibus obruitur.

CAPUT III.

*Nec fortuna potest ladedere, nisi vo-
 lentem.*

ANANDER. Istæ tuæ argumenta-
 tiones, Anicete, non admodum
 ægrè persuadebunt, cum animi æquita-
 te paupertatem illi tolerandam esse, qui
 in paupertate natus, nihil unquam nisi
 paupertatem sensit. At qui divitiis
 abundavit aliquando, simûlque deli-
 cis;

ciis; cui ex voto affluxerunt omnia, aurum, gemmæ, ædes splendidæ, horti, nemora, villæ, agri, amicorum, clientumque multitudo: istis omnibus si reflante fortunâ subito destituatur; agri vastentur, villæ, porticus, palatia incendantur, diripientur divitiæ, amici terga, fidemque vertant, & præ cæteris infestent ipsi crudeliter; victus vilis ostiatim emendicatus vitam ægrè sustentet: incoluorem illum tu, & illum prædicabis? Quid eo miserius? Quid magis deplorandum? Quod tulum imamagis animi viscera pertinet?

§. I.

Nullam illi fidem habeto.

ANICETUS. Meminisse te vellem, Anander, illius olim Laconis; (^a) qui ab alio quopiam Lampem Ægineam cum audisset felicem prædicari, quod prædives esset multorum navi giorum possessione; acutè respondit, felicitatem de funibus pendentem non magni se facere. Neque tu tanti face res pendentem tenui filo, lapsuram que paulò post felicitatem. Miserum sis illum, qui in paupertatem è divitiis

ceci-

(a) Plus in Lacon. Cic. 5. Tusc.

cecidit. Felicem rectius appellâsses; in quem nihil jam fortuna possit. Miser ante fuit, qui in lubrico constitutus, nihil nisi lapsum exspectare debuit. Nam (a)

Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

Èd cadit quis periculosis, quò celio, imò & firmiore fastigio stare visus est. Testem accipe Lipsium. Polycrates Rex Samiorum, inquit (b) non fortunati, sed fortunæ nomen videbatur. Nihil ei in vita adversum: ante vota, supra vota omnia aderant: id est, priusquam vellet, & plus quam vellet. Cœlum, terra, mare favebant, aut serviebant: & res in exemplo raro dixit. Anulum in mare abjicit, quasi Nemesi placandæ. Quid sit in pisco mox inventum recepit. At ultima dissident. Et Orætes Darii regis satrapa victimum, captum, morte nec eâ communi (non dicam regi) affecit: sed in cruce altâ suspensum, mirabile, & miserabile orbis spectaculum. Fortunæ conversionem formidabat Philippus Macedo, cùm uno die laureati tres nuntii felicia perserrent: in Olympiis nimirum viciisse, Dardanenses à Parmenione prælio fusos, filium ex Olympiade natum. Erectis enim in cœlum manibus exclamavit: O fortuna,

na,

(a) Boëth. (b) Lips. expol. l. 1. c. 4.

nā, pro tot, tantisque bonis levi quo-
piam malo me affice. Nota quippè est
rerum omnium certa vicissitudo : (a)

— quōque fortuna altius

Erexit, ac levavit humanas opes,
Hoc se magis suppressere felicem decet:
Variōsque casus tremere, metuentem
Deos

Nimium faventes.

Ita faciet omnis sapiens. (b) *Caduca nim-
rum & fragilia, puerilibusq; consentanea
crepundiis sunt ista, quæ vires, atque opes
humanae vocantur. Affluunt subito, repente
dilabuntur; nullo in loco, nullā in perso-
nā stabilibus nixa radicibus consistunt:*
*Sed incertissimo statu fortunæ hic, atque il-
luc acta, quos in sublime extulerunt, im-
proviso recursu destitutos; in profundo
cladium miserabiliter immergunt.* Ita-
que neque debent existimari, neque dicē
bona, quæ infictorum malorum amaritu-
dinem desiderio sui duplicant. Vicissitu-
dinis istius exemplum quām insigne
dedit Macedonum Rex Perseus ? (c)
*Adductus in vinculis ad Paulum Aemili-
um cùm fluentibus ubertim lacrymis
quidquam effari non posset; conver-
sus ad suos Aemilius: Exemplum il-*
lustre

(a) *Seneca in Troade.* (b) *Valer, l. 6. cap. uis.*

(c) *Liv. l. 45.*

lustre cernitis, inquit, mutationis rerum humanarum? Vobis hoc præcipue dico, juvenes. Idem in secundis rebus nihil in quemquam superbè, ac violenter consulere decet; nec præsentis credere fortunæ: cum quid vesper ferat, incertum sit. Is demum vir erit, cuius animum nec prospera flatu suo efficeret, nec adversa instringet. Numquid veluti communi confessione fortunæ imperium mortales agnoscunt, quando opes fortunas appellant? quando fortunæ bona? Quod si fortunæ; tua profecto non sunt. Quid ergo quereris, si quæ tua non sunt, tibi fortuna tollit? Quid te miserum clamas, si suo fortuna jure utens, sua tollit? At iis jam fruebar, inquies: & spes meas omnes in illis collocaram. Errasti profecto longè turpissimè. Datum sciebas mutuum, ignorare non debuisti repetendum esse, cum luberet. Aut quomodo constantia, propriaque tibi persuasi fore illius munera, quæ (a)

— *læto sœva negotio, G.*

Ludum insolentem ludere pertinax,

Transmutat incertos honores,

Nunc tibi, nunc alii benigna?

Moni-

Monima (*a*) ex humili fortunâ ad regias cum Mithridate nuptias evecta, suam tamen ipsa formam deplorabat; quod pro marito dominum, pro conju-
gio barbaricam custodiam haberet. Verùm fugiente ad Tigranem Rege, cùm ejus jussu moritura, circumposito diademate collo se suspenderet; eo ce-
leriter rupto: O execrandum, inquit, pannum! ne ad hunc quidem usum aptus es? Idque conspuit, & abjecit. Tum eunuchò regii iussi ministro jugulum præbuit. Ecce diadematis felici-
tatem, & fortunæ constantiam.

§. 2.

Teneri fortuna non potest.

ANANDER. Dolet istud in primis, quod à parentibus quæ accepi, non transmittam ad posteros, qui meam for-
taffis olim arguent ignaviam, qui avi-
tam tueri non potuerim hæreditatem.
ANICETUS. Tibi responsum accipe,
quod olim Philippo Amyntæ filio (*b*) Dionysius secundus. Cùm enim inter-
sermocinandum aliquando quæreret il-
le, qui factum esset, ut acceptum à
parente regnum ad eò florens tueri non
potuisset? Ne mirare; inquit. Quum
reli-

(a) Plut. in Luc. (b) Älian. l. 12, Var. hist.

reliqua mihi pater omnia reliquisset ; fortunam solam , quâ cætera paraverat ; & tutatus fuerat, mihi non tradidit. Addo ego : nec tradere potuit , quam in suâ numquam habuit potestate. Nec habuit , quamquam orbem pœnè terrarum haberet, Valerianus^(a) Romanorum Imperator. Post quindecim regni annos bellum magnis viribus Saporis Persarum regi fecit : sed eo fine , ut victus , & vivus in manus hostium veniret. Barbaro fastu victoriâ usi sunt. Siquidem Sapor , ut catenatum mancipium circumduxit ; & quoties equum conscenderet , non manu ejus , sed inclinati dorso adjutus , innixusque est. Bajazetem potentissimum Turcarum Imperatorem simili clade prostratum , ferreâ caveâ , ceu feram , inclusit Tamerlanes ; spectaculóque , & ostentui servavit. Ut his , sic & aliis instabilis semper fuit fortuna : nec unquam teneri poterit à quoquam : cāque causâ

Divitis ad manes nil feret umbra suos.

Et verò si ferre potuissent , tibi nihil fortasse reliquissent majores tui : Ut ut sit , relinquere coacti sunt. Tu vide , sapientisne sit , id velle , quod majorum nemo potuit. Quomodo hīc ditescere

cor-

(a) Lips. ex pelit. l. I. e. q.

contendis, unde maiores omnes post improbos labores totâ vitâ exantlatos nihil amplius, quâm vile linteolum extulerunt? Disce ab impio Saladino, quod probè intellexit, & ingemuit. Morti proximus per castra circumferri jussit in summâ hastâ linteum; & voce præconis inclamari: Hæc efficeret Saladinus ex oriente spolia. Quid igitur interest hodiéne, an cras; adversanténe fortunâ, an fato urgente relinquendæ sint divitiæ? Relinquendæ profectâ sunt: & nisi reliqueris ipse, illæ te deserent. Anteverte, infidásque comites prior abjice.

§. 3.

Adversa tutior est fortuna, quâm secunda.

COhorruisti ad divitarum contempnum, & abjectionem. Christianus non andes post illustrissima tot exempla, quod antè philosophi veteres factitârunt? Philoxenus (*a*) opulentam in Siciliâ hæreditatem adeptus, ut animadvertisit istius gentis luxum, & delicias: Per Deos, inquit, hæc bona non me perdent, sed ego potius illa. Moxque hæreditate abdicatâ, Siciliâ abnaviga-

(a) Cal. 17. Ant. hñ. 18.

vigavit. Quod etiam minus est, pro
vitâ tuendâ Aristippus sua perdidit.
Navigaturus intrârat per impruden-
tiam navim piraticam. Ubi jam in
medio mari periculum suum intellectus,
aurum omne protulit, cuius causâ pi-
ratas capiti suo insidiatiuros suspicaba-
tur: & quasi numeratus, abjecit in
mare, simulans incauto excidisse. Ita
cædis faciendæ piratis causam sustulit:
addidisséque fertur: Melius est hæc
per Aristippum, quâm Atristippum pro-
pter ista perire. Utinam! heu utinam
non mallent plerique se propter aurum
perire, quâm aurum per se! Insanum
adèò tu quidem putas neminem. At
ubique gentium, tot jam ætatibus, om-
ni hominum genere, & conditione, à
minimo usque ad maximum omnes ava-
ritiam sequuntur. (a) Quâ quid scele-
stius? quid producendorum malorum
fæcundius? Verbo Christus omnia com-
plexus est: *Filioli, quâm difficile est con-*
fidentes in pecuniis in regnum Dei introi-
re! Facilius est carnem per foramen acûs
transfere, quâm divitem intrare in regnum
cælorum. (b) Amabo: sitis ardorem se-
daturus, si pateram generoso vino ple-
nam labris admoyerem; sed inopinanti
me-

(a) *Jerem. 8.* (b) *Marc. 10.*

medicus in terram mox excuteret,
quod immixtam affereret cicutam;
excandesceres tu, aut ultionem cogita-
res? Amplectereris potius, & laudares
benevolentiam. Opes omni cicutâ, &
peste magis venenatas, certissimum
que animæ exitium, si tantum animo
robur non est, ut abjicias sponte tuâ,
casus faltem aliquis, & adversa fortu-
na, si præsentissimum venenum in vi-
scera jamjam demittendum excutiat,
cum alio quâm magni beneficii loco re-
ponas? Lutgarden (^a) antiqua Tun-
grorum urbe oriundam, perillustre
sanctitatis omnis exemplum, nuptiis
parens destinabat, divite dote compa-
ratâ. Quæ cùm naufragio periisset,
spe sua dejectus, filiæ libertatem reli-
quit sequendi vocantem ad majora
Christum. Nonne feliciter periret, quod
eximiam illam sanctitatem ingloriis
fortasse matrimonii tenebris obruiisset;
aut faltem excidisset virginitatis pal-
mam? Sapienter igitur Numinis om-
nia scientis, & tibi volentis optima,
providentiæ tua permitte omnia. Ar-
duum istud: dicis. At potuit, qui è
summo felicitatis humanæ fastigio de-
tractus in sterquiliniū, & calamitatum

OM.

(a) Cantiprat. in S. Lutgerde.

omnium humanarum congerie cooperatus , veræ sapientiæ , & fortitudinis Christianæ secuturis omnibus æstatibus exemplum dedit. Ne sim longior ; verba loquentis expende. *Nudus egredius sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Dominus dedit : Dominus abstulit. Sicut Domino placuit , ita factum est : Sit nomen Domini benedictum. (a) Quid dixisset Heros ille sanè invictus ; quid fecisset , si Christum vidisset per illa ardua præeuntem ? Quid te par est dicere ; quid facere , tanto duce ? Quamobrem si neque tua sunt , quæ fortunæ vulgus hominum attribuit , neque retinentur arbitrio tuo ; imò si mala sunt , quid illis horres expediri ? Christum sequenti ducem nihil arduum debet esse : nihil intutum esse potest ; nihil non gloriosum.

CAPUT IV.

Non nisi molliorem animum lœdunt carorum funera.

ANANDER. Homone sit , qui amicitiæ suavitatem non intelligat , non desideret ? Quid in humanis jucundum videri potest , si mutua tollitur necessitudo ,

tudo, si amicæ congressiones, si jucunda colloquia, si suaves consolations? Quæ ubicumque sunt, veluti placidi quidam Favonii, omnem animi procellam sedant, tristitiae nubes dissipant, & serenum reducunt. Solem è mundo tollere videatur, qui amicitiam è vitâ. Quis ergo miretur, si charorum morte graviter afficiar, quorum suavi consuetudine, solatio, consiliis, ope destituor? An non intima rimari viscera telum illud censueris?

§. I.

*Mortales erant, inter quos coaluit
amicitia.*

ANICETUS, Amicitiam numquam satîs laudaveris: numquam satîs commendaveris ejus suavitatem. Sed illamne mortales inter ignorabas coaluisse, quando primo glutine jungebamini? Nesciebas illum, têque naturæ necessitati obnoxium? Summo Imperatori nesciebas obtemperandum, quum è statione evocaret? Sciebat sàne (a) Telamon: qui audito filium sibi charissimum morre sublatum esse, vultu immobili, vir adversùs omnem iniquam fortunam infractus, dixisse

H. fer-

(a) Cic. l. 3. Tuse.

fertur: Bene se res habet: ego enim
quem genui, moriturum scivi. Alius
nuntianti, quod filiorum alter interiis-
set: Olim sciebam, inquit, illi mo-
riendum esse. Novi nihil illi visum
est, si mortalis natus moreretur. Quid
Anaxagoras? Quid Xenophon? Hic fi-
lli unius, ille plurium auditâ morte,
ambo dixerunt: Sciebam me genuisse
mortales. Atque adeò nullum justis
Iachrymis locum relinqui censuerunt.
Si tibi iter facienti comitem se viæ quis-
piam adjungat, vir ad obsequium om-
ne promptus, & suavi sermocinatione
doctus itineris levare molestias; gau-
debis profecto tali socio. At ubi per-
veneris ad bivium istud, ubi ad dexte-
ram tua te avocabunt negotia, illum ad
lævam sua; tuâne magni alias mo-
menti censibus negligenda, ne contra-
clam cum illo consuetudinem quam-
quam suavissimam abrumpere cog-
ris? Iter facimus in hac vitâ (inquit
Basilius) viæque comites, quos lubuit,
DEUS adjunxit, singulisque vivendi
præstituit metam, ad quam, ubi statu-
tum fuerit, singulis decurrentum est,
relictis cæteris. Quis sapiens amabo
arescentem hor̄ti sui amicitatem, &
floscularum honorem defluentem, aut
ve-

vehementioribus caniculæ ardoribus,
aut præmaturis brumæ frigoribus, de-
fleat, & velut inexpectatam deploret
jastruram? Quis miserum fribiliter in-
clamet, quod gratam illam diei lucem
occidente sole, in nigrum noctis hor-
rorum videat abeuntem? Recurrit quo-
tidie spectaculum illud: nec eo nos in-
felices arbitramur. Legem illam ni-
mirum à natura positam non ignora-
mus. Cui igitur moriente amico quam-
quam jucundo, quamquam (ut loqui
placet) animæ tuæ parte maximâ, gra-
ve judicas vulnus inflictum?

§. 2.

Qui obiit, puta abiisse; aut praevisse.

ANANDER. Magna est, Anicete, per
omnem modum causa. Suâ vicissitu-
dine abeunt, redeunt anni tempestates: &
Soles occidere, & redire possunt.

Nobis cùm semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda;
& in perpetuum fido Achate carendum
est. **ANICETUS:** Certè in perpetu-
um: hoc est; quamdiu quidem vives.
At si Senecam, imò si rectam ratio-
nem audis, tam grave est illud, item-
que leve, quam volueris. (a) absen-

tes enim, (inquit) abs futurosque, dum viverent, non flebamus, quamvis omnis usus illorum nobis, & conspectus erexitur sit. Opinio est ergo, quæ nos cruciat: & tanti quodque Maurn est, quanti illud taxavimus. In nostrâ potestate remedium habemus. Judicemus illos abesse, & non met ipsi fallamus. Dimisimus illos: imò consecuturi præmisimus. Quam ergo ingeminas separationem? Pater legato ad Poloniæ Regem comes datus est: patruus ordines in Italiâ dicit: feliciter in Oriente negotiatur frater: splendidas in Mexico nuptias invenit filius: nec verosimile est vel te isthuc profectum, vel illos ad te redituros: & in his lachrymandum non putas, quia honestæ conditionis famâ solaris absentiam. Cur pariter, si amicus in fata conceilit, tibi non persuades eò præivisse, ubi immortali fruitur felicitate?

§. 3.

Præ abiisse ad bona.

ANANDER. Ne mirare: qui florente fructu fortunâ, quamquam apud ultimos hominum Japonios, vivit tamen: atque ad eum honorē meus etiam honos crescit: illius me protegunt opes, & non nihil authoritas sustinet.

stinet. At unà cum morte præsidia illa omnia corruunt. **A N I C E T U S:** Quām verum sit ista corrucere, mox videbimus. Sed antè dic, amabo: cùm in amici morte mœres, tuáne mœres causâ, vel amici? Si tui causâ mœres, hem! quas colis amicitias: E philosophi profectò Cynici sententiâ, amicis uti te dicam ceu vasculis, quamdiu plena sunt, quæ postmodum abjicias vacua. At sancè meipsum (inquit Tullius) ames oportet, non mea, si veri amici futuri sumus. Nec enim Isidoroteste,
 (a) fideles in amicitiâ sunt, quos munus, non gratia copulat. Nam citò amicitiam deferunt, nisi semper accipient. Dilectio enim, quæ munere glutinatur, eodem suspenso dissolvitur. At hoc sinè turpitudine numquam contingit. Gaudet igitur amici morte factum esse, ut istam effugeritis ambo labem.

Si amici causâ, mors ejus tibi acerba est, (quod amicitiæ profectò legibus magis esset consentaneum) quo Malo censes acerbam? Nec enim à Malis discedere Malum esse fateberis. Abit vero amicus è vitâ; è quâ Boni quid speras? Picum Mirandulanum audi. (b) *Fac cogites* (inquit) *semper instantem*

H 3.

mor-

(a) Isidor. l.3. de summo bono. (b) Ep. ad Neposten.

mortem; & punctum scilicet esse, quod vivimus, & adhuc puncto minus: tum quam sit malus hostis antiquus, qui nobis regna calorum eripiat: quam falsæ voluptates, quæ ideo nos amplectuntur, ut strangulent: quam dolosi honores, qui nos sublinant, ut deinde præcipitent: quam lethales divitiae, quæ quanto nos magis paſſunt, tanto magis venenant. Quam breve, incertum, instabile, umbratile, falso sum, imaginorium est illud, quod hæc omnia, simul etiam si ex toto affluant, nobis praestare possunt. Sic ille, Merito igitur amicum appella felicem, & beatum, quem tot, tantisque mors expedit Malis. Quid? quod immisit in Bona non fucata jam, & brevi peritura; sed certa sine formidine, sincera sine Mali admixtione, perpetua sine termino? Amico illa, si quidem amicus ipſe es, optare debes.

§. 4.

A mortuo majora, quam vivo speranda sunt.

VIn, amplius dicam? Amici mortem tibi optare debes, ceu ingens Bonum. Non ingens Bonum est, Pyladen tuum apud regem esse in gratiâ? Fuit illum rex in oculis, à se abire non

patitur, nihil ab illo patitur desiderari, omnia compleat ejus vota. Talem ejus absentiam, credo, non deflebis: non incommodam tibi putabis, aut intuilem. Dic, Anander: à DEO minus amari Cælites existimas? aut Cælitibus deesse charitatem? Si nihil charitatis amici morte imminutum est; si authoritati, potentiaeque multum acrevit; quid doles? Quin potius amico, quin tibi gratularis? Facere solitus es, si quæ amico viventi benignior adspirâsset fortuna: fortuna, inquam, hoc est, incerta, inconstans. Jam cùm de incremento, sinceritate, & constanza fas non sit ambigere, quid hæres? quid lachrymis oppalentur oculi? Quod à vivo sperare poteras, exiguum erat, caducum erat, erat umbra. Ab homulo quid aliud ausis sperare? Spes ipsa non nisi formidinis esse plena debuit. Nam ut hodie velit amicus bene facere, possitque: cras fortasse non item. Potestatem omnem quid si fortuna brevi momento sustulerit? Hoc enim illi in more esse non ignoras. Esto: possit. Fortasse tum nolet, contempto omni amicitiae jure. Num quid humanâ mente inconstantius? Quàm frequenter odisse cœperunt, qui amârunt diu-

tissimè? Sed age: neque bene merendi copiam fortuna, neque inconstans voluntatem invertat: quid tibi tam certi audeas polliceri inter tam cœca hominum consilia, providentiásque incertas? Numquāmne toxicum amicā manu sub melle propinatum? Quām multi amicorum beneficio ad dignitates enecti, patuerunt invidiæ, & in ruinam præcipites acti sunt; quos in humili si favor amicorum reliquisset, nullius sustinuissent invidentiam? Nimirum, cuique quid expediatur, ignoramus: & amico summā contentione ambimus, quod pari studio declinandum erat, si futurorum arcana pervideremus.

§. 5.

In D E O spes omnes colloca.

Si placido cursu dubium hujus vitæ pelagus emetiendum tibi est: quid ventos pro libidine tuâ in vota vocas? Divinis te permitte Zephyris. Hi te securum per saxa latentia, per Scyllas, & Charybdes invehent in portum. (a) Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus: Imò necessarium, si salus tibi curæ est. Audi prophetam

seve-

severè intonantem : (a) *Hæc dicit Dominus : Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Erit enim quasi myrica in deserto ; & non videbit, cum venerit bonum : sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili. *Benedic tus vir, qui confidit in Domino : & erit Dominus fiducia ejus.* Et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas : & non timebit cum venerit æstus : & erit folium ejus viride ; & in tempore siccitatis non erit sollicitum ; nec aliquando desinet facere fructum. Num enim humana credis non regi Numinis providentiâ ? Si folium, quod vento rapitur, fert, & dirigit DEUS : vitam tuam humanis quamquam agas consiliis, ea tamen arcans viis in propositum DEUS finem flexit. Et cum hominum prudentiam nimio plus sibi ab blandienti non nesciat ; in ipso molimine deserit non raro ; ne dicant : *Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia.* (b) Ne dubita : non est abbreviata manus Domini. (c) Si dulcissimi parentes, si vitæ solatium conjux, si liberi spes posteritatis, si amici rerum tuarum præsidium,

morte sublati sunt ; omnes tuas spes in eo sitas habe , à quo per illos felicitatem tuam omnem profluxisse dubitare fas non est : & eadem illa DEI bonitas vel ex lapidibus suscitabit filios Abraham , per quos opportunum rebus tuis subministret adminiculum. Et ingenti captus admiratione , gaudióque delibutus inclamabis : *Pater meus , Æmater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me.* (a)

§. 6.

Hoc da DEO.

Denique solatum omne, præsidiumque, quod à parentibus , conjugi , liberis , amicis cæteris exspectare potes , tanti apud te est , ut libare DEO , consecrare que non possis ? Atqui ista ejus munera fuerunt ; nec perpetua Post tempus ergo præstitutum reposcenti , quid negas , quod sponte opportuit oblatum ? Franciscus Borgia , Dux olim Gandiae , religionem in Societate IESU postea professus , & Præpositus Generalis , nuntianti aliquando mortem Isabellæ filiæ : Depositum , inquit , acceperam : repetiit Dominus . Reddamus itaque , ut par est , alacriter : quod-

(a) *Psal. 16.*

quódque tam diu usuram ejus dederit,
grati testificationem animi demus. Eo
ípsò die allaturus consolationem allo-
quiis, accessit Comes-stabilis: cùmque
nihil mœstum in vultu animadvertis-
set, indignabundus: Téne, inquit, ta-
li filiâ amissâ nihil moveri? Modestè
subjecit ille: Ex quo me tempore Deo
dicavi, sic cor illi meum libens, voléns-
que obtuli, nihil ut in rebus humanis
turbâre illud poffit. Germana sanè
fuit hominis istius religio: sed nónne
& felicitas sincera, quem nihil lædere
valeret? Discipulum ô Christi discipli-
nâ dignum! Pronuntiavit enim ipse
ex adytis Divinæ sapientiæ: Si quis ve-
nit ad me, & non odit adversantein mihi
patrem suum, & matrem, & uxorem,
& fratres, & sorores; adhuc autem &
animam suam, non potest meus esse disci-
pulus. (a)

CAPUT V.

Nullum à contemptu vulnus time.

ANANDER. Subtractis amicitiæ fo-
latiis, virum fortem si arbitraris
nequaquam lædi; quid de contemptu
dices, invidiâ, odio, aliisque malevo-

H 6

len-

(a) *Luc. 14.*

lentiæ telis? Nec enim æquis legibus
in aciem me cogis, si detractis sociorum
auxiliis, cum infensissimis hostibus
mihi dimicandum est. ANICETUS.
Æquum judicas. Atque animus mihi
est inimicos æquè omnes, ac amicos
submoveare, quo possis in te conquie-
scere, tecum gaudere, ex te beatus
esse: tibique ad eò acceptum referre,
si quod aliquando vulnus acceperis.
ANANDER. Ita me profecto beaveris.
Sed cave supra vires quidquam pro-
mittas. Contemptum enim (placet
hinc ordiri) quis nesciat naturæ tan-
tum adversari, quantum honor abblan-
ditur? Hujus desiderio, metu illius,
quanti per omnes ætates, ubique gen-
tium viri per flamas per maria, per
ferarum laniatus, per armatorum cu-
neos, per densam telorum grandinem,
in mortem ipsam ruerunt? Hæc, & alia
his atrociora, illis suê dulcia, qui
gloriam comparare, qui tueri volue-
runt intaminatam. ANICETUS. Quid
de omnibus istiusce generis sentien-
dum, antea me credidi demonstrasse;
demonstraboque deinceps. Jam
de tui contemptu dispu-
tabo.

§. I.

*Si peccasti, meritus es; & bono tuo
contemneris.*

AB aliquo tu contemneris. Quæro
ego: juréne, an injuriâ? Si jure:
vel culpa tua est, quod aliquid minus
rectum, congruumque rationi admise-
ris; vel aliquis est naturæ defectus. Si
culpa est: tolerandus ille tibi profectò
contemptus est. Nec ille te lædit, qui
contemnit; sed ipse tu, qui rem tur-
pem perpetrâsti. Illam verò à te per-
petratam velles aliis probari? Non credo.
Nam & novo te implicares pec-
cato, & alios tecum involveres. Con-
temptu tibi quid utilius? Peccâsse te
forsitan ignorates, si contemneret te ne-
mo. Imò peccares rursum, si (quod
malè optas) amari te sentires, & coli-
tur piter agentem æquè, ac honestè.
Quàm multos à turpi consuetudine re-
vocavit contemptus, quos neque recti
honestas, neque vitii turpitudo gravi-
oratione demonstrata mouere potuerat?
Temerè multa contra se, & acerbè Ni-
canorem effutire audierat Philippus
Macedo: neque deerant, qui plecten-
dum censerent. Ille contrà: Mace-
donum pessimus Nicanor non est. Vi-

dendum igitur num quid per nos commissum, cur malè dicat. Et serio querens, reperit pauperem virum esse, bene meritum, nec adhuc habitam ejus rationem. Itaque munere statim eum affecit. Et ille mutata mente, & lingua, laudare ubique Philippum, & attestare. Quod ubi Philippus audiit: Videlis, amici, inquit, in nostrâ manu esse, bene, vel secùs audire. Eudem dicere solitum ajunt, gratias se debere Atheniensium oratoribus, quod conviciis suis redderent se meliorem; dum illos factis refellere conatur. Contemptus igitur mentis aperit oculos, lucem infundit, tibi te detracto omni fuco videndum ostendit. Præterea peccatum omne aliquâ pœnâ dignum quis nescit? Quid plagas igitur, quas meritus es, recusas? Si levi hominum contemptu datur noxas expiarc, quas acerbissimis à morte cruciatibus expurgare cogereris, non id beneficium est? Et verò grande, inquies; si hoc Dei arbitrio eveniat: Sed inimicorum malevolentia mihi dolori est. Obone, quid ais? Peccasti: nonne? Et in DEUM quidem. Omne verò peccatum suppliciō confessus es esse dignum. Jam age: negare tu potes homini jus esse,

ad-

admissam in DEUM suum noxam ulcisci, saltem contemptu, & detestatione? Quod porrò homini concesseris, DEO (opinor) non negabis. DEO fas est ergo scelera castigare. Quâ pœnâ? quo supplicii genere? quo lictore? Istud ne rei ipsius arbitrio dabis? Angustis profectò carceribus potestatem judicis circumscriberes. Quare cùm DEI sit, pœnam, supplicii genus, gravitatem, diuturnitatem, lictores suos definire; prætereaque constet in humanis rebus sive Numinis providentiâ nihil evenire: hoc statue apud te, certumque habe, quidquid ab hominibus pateris, Dei te providentiâ, nutuque pati. Si vero propter peccata pateris, tibi gratula-re, quod in Dei gratiam redite permit-titur. Neque tum lædi te existimave-ris, cùm irrogantur pœnæ, crimen ni-mirum expiaturæ; sed quando culpam admisisti, quâ DEUM tibi reddidisti infensum.

§. 2.

Citra culpam, sed vere tamen si con-temneris, tangite ne putas.

ANANDER. Ubi culpa sit, contem- ptum esse tolerandum, non ægrè mihi persuasero. Sed quâm grave est, homi-

hominibus esse ostentui , & ridiculo , propter id , quod in meâ non sit potestate ? Si mihi corpus imbecille , facies deformis , si lippiunt oculi , balbutit lingua , tinniunt aures ; si ingenium tenue , incertum judicium , levis memoria : hæc supra votum meum , & vires sunt.

(a) *Quis vestrum cogitans , potest adjicere ad staturam suam cubitum unum ?* inquit ipse Christus . Quâ ergo causâ spernor , quâ rideor ? ANICETUS . Alteram proponis , Anander , eorum classem , quæ jure contemni statuebam ; tu verò mihi putas repugnandum esse , quod arbitrii tui non sint ista . Certum est non esse . Verùm cōne censes te laude dignum à gibbo , à lippitudine , ab hebetudine ingenii , ab infamiâ parentum ? Quæ omnia , aliisque plurima nec in tuâ sunt potestate , nec sanè laudabilia . Si tuo DEUS arbitrio dedisset , nōne corpus tibi formâles integrum , & suis aptè concinnum partibus ? nōne animum ingenio , judicio , memoriâque præditum ? nōne parentes illibatae famæ elegisses ? Optabilia nimirum ista judicas ; quemadmodum certè deformia , quæ adversantur Patere ergo tu ab aliis illa in te contemni , quæ nec tibi ipse elegisses , nec in aliis un-

quam laudabis. Hoc verò contemptu perstringi te ne putas. Nequaquam tu peteris : sed ipsa deformitas, aut defectus naturæ sit, vel fortunæ. Si peteris, injuriâ profectò peteris : & de eo postea meminerimus. At quomodo te censes peti, quando, quod tuum non est, petitur ? Tuum quippè fateri non potes, quod in tuâ contendis non esse potestate. Nisi te similem illi fatearis ; qui nuper commilitoni brachium glan- de plumbeâ trajici cùm vidisset, horro- re percussus, saucium se graviter incla- mavit , contenditque mox ad chirur- gum. Hic dexterum nudat brachium : sed cùm illæsum animadverteretur ; lævum porrigit : quod & sinè vulnere repertum est. Ergò, inquit, bone vir , ad commilitonem propria ; alterutrum quippè lævo iactu transtossum esse con- stat : nam ad volantis plumbi stridore tinniunt etiámnum aures. Non illi multùm absimilem te percellit ad au- tes tuas perstrepens contemptus, nescio quis, rei non tuæ ; & te saucium exclamás. Velles fortasse tui gratiâ laudari, quod ipse solitus es vituperare ? Id ve- rò vel mendacio fieret , vel turpi lau- dantis errore , ignorantiaye. Tanti profectò laudem tuam emere non de- bcs,

bes, si quæ tibi pietas in DEUM, & in proximum charitas. Nec superi favent. Ciceronis aliquando vanitatem non risisti? Non satis illi fuit Luceum historicum ad res suas commemorandas multis incitare: ausus est etiam addere: *qui semel verecundiaæ fines transierit, eum bene, & naviter oportet esse impudentem.* Itaque te planè etiam atque etiam rogo, ut & ornes ea vehementius etiam, quam fortasse sentis, & in eo leges historiæ negligas: gratiamque illam, de qua suavissime quodam in proœmio scripsi-
sti, à qua te affici non magis potuisse de-
monstras, quam Herculem Xenophon-
tium illum à voluptate, ea si me tibi de-
hementius commendabit, ne aspernere;
amorique nostro plusculum, quam concedit
veritas, largiare. (a) Ride hominis am-
bitionem putidam; quam DEUS orbi
manifestam voluit, superstite in hunc
diem epistolâ illâ: mendacem Luceii
historiam non voluit esse hodie super-
stitem. Cave te pariter ridendum pro-
ponas, dum vis landari, quæ risum
mereri non nescis. Suo homines arbi-
trio relinque: rideant, quod lubet;
aut laudent: tuâ nihil interest, neque
tangi te puta, quando tangitur quod
supra

(a) Cic. l. 5. epist. 12.

supra tuam est voluntatem ; eaque
causâ neque vitio tibi verti potest, nec
laudi.

§. 3.

*Immerito contemneris ? ne moveare :
nihil fit.*

ANANDER. Jure contemni, non
difficulter æquō quispiam animō
feret, & tuis assentietur ratiocinationi-
bus. Sed injuriā contemptum pati,
grave quis non vulnus existimet ? ANI-
CETUS. Existimavit profecto Xantip-
pe ; ejulatūque muliebri judicum ini-
quitatem infectata est : sed risit certio-
re vir judicio Socrates ; insontique le-
viora judicavit supplicia ; quam fonti.
Non aliter sentiet , quisquis sapiens.
Age, dic. A sapiente, cordatove ho-
mīne ; an ab insipiente , & improbo
contemni quereris ? Non sanè à sapien-
te, & cordato : res enim Bona contem-
ni non potest , nisi ignorantia, vel ma-
lignite. At in sapientem ignorantia,
malignitas in probum virum num-
quam cadit. Reliquum est igitur , ut
improbus sit, aut insipiens, à quo con-
temnите ploras. Quod mavis, elige.
Improbus est ? Nihil ab illo time : &
convicianti dic cum Diogene : Nec mi-
hi

Hi credit quisquam te laudanti; nec tibi me vituperanti. Non istud sermone tritum? Æqua laus est commendari à probis, ab improbis vituperari. Imò gloriam immortalem ab his comparâste Philippum Macedonem quis ambigat? Quos miserat Populus Atheniensis legatos, perbenignè cùm audiisset iisque indulsisset; dimitens pro cumulo adjecit: Ecquā aliâ in re gratificari illis posset? Hic Demochares è legatis unus: Ita verò, inquit, si te ipse suspenderis. Exarserunt in justam ultionem amici, & adstantes: & se, & illos compescuit, qui peti videbatur Philippus; & hominem nullâ vel re, vel voce acerbiore lœsum dimisit. Tantum hoc ad legatos alios: Nuntiate Atheniensibus, impotenteres esse, qui ista dicunt, quām qui dicta comiter audiunt. Non insipiens sit, qui aliter judicaverit? Me judice, labem sibi pendendam improbus Demochares insperfit; se Philippus immortali gloriâ cumulavit. Quod si fuerit insipiens, à quo contemneris; nec flocci contemplationem ejus facito. Ita sapienter olim Pisistratus: (a) in quem ebrius aliquando conviva cùm acerbè multis fuisset

(a) *Sen. l.3. de ira c. II.*

fuisset inventus, & ad ultionem irritarent plerique; placide respondit; Non magis illi se succensere, quam si quis obligatis oculis in se incurrisset. Socrates (*a*) verò calce percussus, non nullis animi moderationem admirantibus, dixisse fertur: Quid enim si me asinus calce impeisset? num illi diem dixissem? Oculis sanè obligatis, & asinus est, quisquis est insipiens: contemnentem igitur contemne; & in alium, non in te, vibrari telum existima. Cuidam dicenti: Hi te irrident, Diogenes respondit: At ego minimè irrideor; ita namque ridentur, qui victi cedunt, & ejusmodi rebus turbantur. Et verò: O quam contempta res est homo, (exclamat Seneca) nisi super humana se erexit, neque ab illis vel tangi se crediderit! ANANDER. Non omnibus, non ipso mihi semper liquet, sapiensne & probus, merentēmne contemnat, an immarentem. Ludor interim vulgi fabula. ANICETUS. Grande istud Heracle malum, si nasus es totus, si totus cœrus; qualem fingunt Aristotelem nonnulli. Uni quippè leviculus es, morosus alteri, superbus illi, huic magnanimus, aliis denique alii: & plus quam

Mor-

(a) Laërt. l. 2. c. 7.

Morpheus diversissimas eodem tempore formas induit. ANANDER. Rides, Anicete. Minime omnium id volui. Varia scio variorum iudicia; sed idem mihi consto. ANICETUS. Hominem teneo. Idem es, quidquid alii de te sentiant. Tua quid igitur interest? Atrum judicent, ut luet, aut candidum: tuo tu colore perstas imbutus; neque te magis opiniones hominum immutabunt, quam aqua laterculi colorem. Ipsum te lude, & ride, quo lepore quondam Gratianus Imperator mulierem stulte importunam ablegavit. Accesserat, & de marito questæ aspera multa dixerat. Ille placide: Quid hoc ad me, mulier? At enim, subjecit ipsa, etiam in te male animatus est, & loquitur. Ille iterum: Quid hoc ad te mulier? Et confusam, irrisamque sic dimisit. Age, & tu dic idem. Contemnit aliquis? Ne dubita. Timere quid recte potes, quod ad te non pertinere persuasum habueris? Nonne sapienter Diogenes? Moriturus cum se projici inhumatum jussisset: Volucribusne, & feris? objiciunt amici. Minime vero, (inquit ille) sed bacillum propè me, quo ahigam, ponitote. At illi: Qui poteris? non senties.

ties. Quid igitur mihi ferarum lanatus oberit nihil sentienti? Et tu in eodem gradu te collocare potes. Nec exulta, si magnum te, & beatum opinantur: neque si contemnunt, animum abjice. Sitam isthinc habes beatitudinem, ubi labefactare hominum nemo possit. Si posset vel unus, nulla profectio esset beatitudo. Miserum enim te, quoties lubebit, faciet: quoties, inquam, te contemptum volet. At verò speras tu cuiquam per omnia sic probari, ut prorsus nihil improbet? Hominem te debes meminisse; atque humani à te nihil alienum. Ut in te multa laudet, miser es nihilominus, si vel unum vituperet. Faciamus tamen nihil esse, quod unus ille vituperet: laudet verò omnia. Sed unus ille est. Consequi speras, ut nemo te ignoret? Omnes te laudent: Quām multi, non dico è civibus, sed ex amicis, & familiaribus tuis de te nihil cogitant; ignorant tua? Ut suam ipsius vanitatem, simul & tuam Cicero rideat: audire placet. (a) Existimabam, (inquit,) nihil homines unquam aliud Romae, nisi de quaesturā meā logui. Ex cogitati quidam erant à Siculis honores inauditi. At-

(a) Cicero pro Plancio.

que bac spe decedebam, ut Populum Romanum ultrò omnia delaturum putarem. At ego cùm casu diebus iis, itineris faciendi causâ decedens è provinciâ, Putteolos fortè venissim, cùm plurimi, & laetissimi solent esse iis locis: concidi pænè, cùm quidam ex me quæsiisset, quo die excissem: & num quid in eâ esset novi? Cui cùm respondisset, me è provinciâ decedere: Etiam me Hercules, inquit, ut opinor, ex Africâ. Huic ego iam stomachans fastidiosè: Imò ex Siciliâ, inquam. Tum quidam, quasi qui omnia sciret: Quid? Tu nescis, inquit, hunc Syracusis quæstorem fuisse? Imò Lilybæi, non Syracusis. Quid multa? Destiti stomachari: & me unum ex iis feci, qui ad aquas venissent. Ita de se Tullius. Te ut feliciorem esse demus: finge, per me licet, mortalium esse neminem, qui de te finistri quid opinetur; omnibus in pretio te esse; de tuis omnes laudibus numquam non cogitare: adde, si lubet, (quod ad sinceram animi tui felicitatem non parum facere videatur) de isto mortalium judicio, & sententiâ tibi constare. Quid triumphas? Quæ tua victoria, si te multâ vitiorum turpitudine non ignoras contemptibilem? Te homines, hoc est cæci, & duces cæcorum

rum in cœlum laudibus efferunt ; quid ex eo speras , si certo te judicio propter flagitia DEUS in Tartarum deprimit , & æternâ notat ignominiâ ? Ab hoc uno exhorrefice improbari. Unus hic si te contempserit, periisti funditus ; & æternum periisti. Si contrà laudet, & charum habeat, beatus es ; frendeat licet , & flocci pendat universum genus hominum.

§. I.

*Juvat ad virtutem, & palmam
contemptus.*

Vis altius me tecum loqui ? Contemnite contemne ride, imò ama : & beatus es. Paradoxum miraris ? Aperta est oraculi Divini sententia : *Si hominibus placerem, Christi servus non esset.* (a) Quod cùm probè intelligeret Apostolus, & doceret ; intrepidè affirmabat : *Mibi prominimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die.* (b) Atque etiam fortius : *Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.* (c) Contemnentem contemno. Horrori mundo sum ego , non secùs, ac putidum patibularis hominis ex infami cruce cadaver ; parique & ego horrore mundum aversor.

I

Ab-

(a) Galat. 1. (b) 1. Cor. 4. (c) Galat. 6.

Absit enim mibi gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi. (a) Per Crucem nimirum Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, (b) ad gloriæ ardua Paulus viam molitur. Qui faceret aliter, quando gloriæ rex ; quæ stulta sunt mundi elegit, ut confundat sapientes : *O infirma mundi elegit, ut confundat fortia : O ignobilia mundi, O contemptibilia elegit, O ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret?* Qui faciat aliter Apostolus , quando gloriæ Rex (c) sustinuit crucem confusione contempta ? Contemnunt ergo homines, rideant, subsannent, jure vel injuriâ, parum interest. Amplius dico : ed tibi gloriosius, si injuriâ ; proprius quippe ad DEUM tuum accedis imitatione. Sprevit illum Herodes cum exercitu suo, *O illusit inautum ueste albâ.* (d) Regem gloriæ , & Dominum majestatis non potest tibi non esse gloriosum sequi, quacumque denique viâ.

CAPUT VI.

Malam ne dixeris invidiam : Boni quippe testimonium est.

Contra invidiam , & odium accipe dicta, quæcumque contra contem-

ptio-

(a) Galat.6. (b) 1.Cor.1. (c) Hebr.12. (d) Lue.23.

ptionem. Subjicio tamen pauca ; quæ invidentiam propriō telō conficiant. ANANDER. Præteribam tacitus, velut abundè confossum superioribus argumentationibus. Sed audio lubens, quod proprium appelles telum. ANICETUS. Proprium appello, quod ab ipsā torquetur in adversarium invidentiā ; efficitque, quod olim in fabulis Pelias hastā , quod infligit vulnus , perfrat : nec remedium aliud præsentius. ANANDER. Quod istud ? aveo scire. ANICETUS. Audistin' aliquando, quid esse Philosophi definiant invidentiam ? ANANDER. Audivi plūs vice simplici. Odium alienæ felicitatis indigitat Hugo. Angelico Doctori est tristitia de bono alterius, quatenus ejus gloriam imminuere creditur. Esse tristitiam de Bonis alienis , Joannis Damasceni mens est. ANICETUS. Invidiam ferri vides in bonum alienum, in alienam felicitatem ? Eā causā Bion olim hominem invidiā vulgo notum conspicatus tristi , ac dejecto vultu : Nescio, inquit, tibine quidpiam Mali , an quid Boni contigerit alicui alteri. Idem de altero quodam inido dixisse Publum narrat Macrobius. Alienā quippè sic invidus torquetur felicitate , quemad-

modum suo quivis infortunio. Cūm
igitur tibi sentis invideri, ne querere,
ne te faucium inclamaveris, ne te cre-
dideris infelicem: ex certâ æmuli tui
confessione pro certo habes Bonō te ali-
quō præditum, te beatum esse. Con-
trà si tibi neminem invidere compere-
ris, dic quod Themistoclem adhuc
adolescentem dixisse ferunt: Præclari
nihildum feci! mihi quippè nondum
invidetur. Nam sicut Cantharides ve-
geto maximè tritico enascuntur, & ro-
sis gratùm vernantibus; sic invidia
præclarè factis, gloriâque velut ena-
scitur. Misero & abjecto numquam in-
vidit quisquam; numquam illi, quem
reverâ contemnit. Illius certè Bono
contabescit, quem se superiorem agno-
scit, aut parem; vel à quo superari ti-
met, aut æquari, Quid ì pluris æquō
te fortassis æstimat. Invido haud qua-
quam illud insolens est. Acutè quon-
dam Actius Sincerus rari vir ingenii,
magnæque nobilitatis. Audiente re-
ge Friderico disputabant medici, quid
oculos maxime redderet perspicaces.
Fœniculi afflatum commendabant alii,
alii vitri usum, aliud alii præferebant.
Ego verò, inquit Actius, invidiam ajo.
Medici è Physica potius id probandum
rati,

rati, quām ex Ethicā, ad inexpectatam istam assertionem ita hæserunt, ut omnibus, qui aderant, stupore suo, ac silentio risum moverent. Tum Actius : An non omnia verò majora videt, & pleniora invidus ? Mihi concinit Poëta :

*Fertilior seges est, alieno semper in agro :
Vicinumque pecus grandius uber
babet.*

Invidenter ergo tuis rebus hominem nactus, tibi gratulare, si quo tangenteris honoris delideriō : certum enim de illo habes ab æmulo testimonium. Bonō tuō, quo te gloriari decet, contabescit ipse, suā profectō malignitate miserandus. Ita censebat Agis. Dicentibus nonnullos esse, qui ejus gloriæ invidenter, respondit : Geminā ergo angentur molestiā, quos & sua ipsorum Mala discruciabunt ; & præterea tum meis, tum amicorum meorum Bonis torquebuntur. Sapienter dictum, & viri suā virtute stantis. In istā te basi statue ; & neque te lædet, neque gradu movebit cuiusquam invidia. Quid dicam, adverte. Non extra teli jactum te constituo : sed telum imbellē sinē iictu ab invidiā torquendum ajo ; nec unquam torquendum, nisi adver-

sùs virtutem , aut aliud quodvis Bonum : & quò majus fuerit nobiliusve, eò magis invidiæ patebit. Quid excelsius, quid illustrius', quid sincerâ dignius gloriâ, quàm Christi virtus ? At illam nec vox à Patre de cœlo missa, nec omnem superantia naturæ vim prodigia invidiæ eripuerunt. (a) *Videntis quia nihil proficimus* inquiunt Pharisæi. *Ecce mundus totus post eum abiit.* Conspirante deinde cum ipsis Sacerdotibus sententiâ, addunt : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit ? Si dimittimus eum sic , omnes credent in eum.* Frendentem adversus DEI Filium audis invidiam : *lividum ejus tu dentem speras evadere ? Verùm, ut laudi, gloriæque non potest tibi non verti , eodem unà cum Christo vehi navigiō ; ita in eumdem eodem auspice portum non potes non inferri.*

CAPUT VII.

Neque ab ingratitudine, vel perfidiâ malum feres.

ANICETUS. Ad ingratitudinem, & perfidiā, vitia hominum societati, si quæ alia, maximè adversantia, prono orationis decursu labimur. Non-

(a) *Jeannus 12.*

ne eò deducere mens fuit, ANANDER. Fuit prorsus, ANICETE. Sed Charybdim aliquam non putas, aut Scyllam, quæ prætervehentes voragine malorum absorbeat. ANICETUS. Non sum equidem nescius in infamibus ista vitiis reponi; & in malorum revera Charybdim, aut Scyllam immergi, quotquot cā se turpitudinē commaculant. Sed eos lædi, in quos armatur ingratitudo, & perfidia, quibus tibi persuasum habeas rationibus, velim equidem audire. ANANDER. Provinciam haudquaquam difficultē mandas, si publicum quidem hominum judicium, ac sententiam exquirimus. Ista quippè vicia qui humani generis pestem appellant dirissimam, non eò sic judicant, (ut ego quidem arbitror) quod ingratis dumtaxat, perfidisque perniciem autument ex illis trahi; verūm & cæteris unā mortalibus, malignā nimirūm veluti quādam contagione. Quod enim pestis corpus invaserit, id primum ad interitum dicit; tum proximos quoisque mortiferō afflat venenō. Non multō, aliter quibus nulla fidei, gratitudinisque cura est, non modō mortiferā se polluunt turpitudine; verūm & illös, à quibus desciscunt,

insidiis circumventos impellunt in ruinam : atque adeò hominum societatem omnem confundunt. Tolle gratitudinem, cui bene alteri facere sit animus ? Si nullam ab altero speras opem, aut beneficium, quid erit denique, cur in civitate, vel inter homines vitam agere malis, quā in inviā solitudine ; procul ab omnibus mortalibus ? fide verò sublatā , inter feras securior verabere, quam inter mortales.

§. I.

*Virtuti , vel gloriæ nihil detrahit
ingratitudo.*

ANICETUS. Turpe vitium est ingratitudo , Anander ; infandum est perfidia : atrociaque ambo procreant mala : nemo sanus dubitaverit. Verum de hoc modò nihil disceptandum sumpsimus. Ab ingratis, aut perfidis lædi te , probare debueras. ANANDER. Quid ? Thesea, Solonem, Miltiadem, Aristidem , Themistoclem, Phocionem, si post tot beneficia in patriam, post vitam magnā justitiæ, & integritatis laude traductam , in judicium , & vincula trahuntur , si in exilium compelluntur, aut mortem , tu lædi non putas ? Camillum , & tot Scipiones, aliós-

aliōsque plurimos, eadem illa passos, aut etiam graviora, tu læsos non fuisse, audes affirmare? ANICETUS. Ea, quæ commemoras, non esse Mala mox demonstrabo. Quid interim vis hæc tuā ratiocinatione? Num ipsis aliquid virtutis imminutum est? An de rectè factorum gloriâ detractum? ANANDER. Neque verò potuit imminui quidquam, neque detrahi. ANICETUS. Quod ergo Malum dicas irrogatum? ANANDER. Decerptus est ungue maligno suavissimus rectè factorum fructus: in amicis, inquam, animi gratitudo, & vivida memoria beneficiorum acceptorum; vicissitudóque paris officii, ut ferret occasio, rependi. ANICETUS. Fructum appellas, Anander, quem flosculum rectius dixisses longè tenerimum, & primo asperioris Boreæ decutiendum afflatu. Exornant certè virtutem, quæ recensuisti; non aliter quām arborem flores odore, colorēque vernantes, qui adversā hominum afflati voluntate mox intereunt. Fortior est, & supra omne periculum securus virtutis fructus. Ab ethnico comēdo docendus es. *Virtus præmium est optimum: (inquit:) virtus omnibus rebus anteit: virtus omnia inse-*

*habet : omnia adjunt ei Bona, quem p-
nes est virtus.* (a) *Ne flosculum ergo
credideris. Sævientes ridet hiemis ri-
gores.* (b)

*Virtus repulsa nescia sordidæ,
Intaminatis fulget honoribus :*

*Nec ponit, aut sumit secures
Arbitris popularis auræ.*

Vis clarius aliud, lac distinctius ? (c)

*Ipsa quidem virtus pretium sibi, solá-
que latè*

*Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuque petit clarescere
vulgi.*

*Nil opis externæ cupiens, nil indiga lau-
dis,*

*Divitiis animosa suis, immotâq; cunctis
Casibüs, ex altâ mortalia despicit arce.*

Frendeant ergo, ringantûrve ingra-
ti: sua virtuti stat inconcussa dignitas.
Ajebat enim Antisthenes armaturam
esse virtutem, quæ detrahi nequirit:
ensem quippè, & clypeum armatis non
raro extorqueri: sapientem verò, præ-
ditumque virtute, numquam non ar-
matum esse, eoque vinci non posse.
Sapienter Demetrius Phalares. Quum
Athenienses audisset, quas ante sibi

sta-

(a) Plaut. in Ampher. aet. 2. ser. 2. (b) Her. l. 3.
Oda 2. (c) Claudian. in Cons. Mall.

statuas erexissent, dejecisse: At virtutem, inquit, non everterunt, cui exornandæ illas crexerant. Per negent ergo homines ingrati, aut elevent accepta beneficia; odia, exitium reponant: inconcussa stabit virtus, & quæ illam consequi solet, gloria.

§. 2.

Dolos suos aperiunt ingrati.

Verum leve cui piam videbitur, malum nihil ab ingratitudine timendum esse: Majus audeo: Bonum etiam ab illâ non exiguum polliceor, & voluntariam à te confessionem exprimam, si ad quæsita respondere non renuis. Dic age: Cui bene vis, aut facis? inimicône, an potius amico? ANANDER. Certè amico; aut quem beneficio meo amicum fore spero. ANICETUS. Nolles verò, si scires inimicum? ANANDER. Nollem sanè: oleum enim cum operâ quis velit perditum? ANICETUS. Istud jam missum facito: expendam postea. Hoc mihi modò satîs est, quod inimico nolis bene facere. At credis, Anander, perspectam te habere omnium, qui se profitentur amicos, fidem? ANANDER. Quid eô incertius? Quemadmodum enim frons, ocu-

li, vultus, ita & lingua, & manus persæpè mentiuntur. ANICETUS. Per magni faceres igitur ; si Lydium, quo probares amicos , lapidem tibi quis porrigeret? ANANDER. Multò pretiosiorem aurō ducerem. ANICETUS. At non multò tibi constant aurō , quæcumque confers beneficia. Cur igitur operam defles perditam , quoties beneficiolum aliquod putas non optimè collocatum ? Cur in ingratitudinem declamitas, quæ mente tuā cæcitatem depulit ? Errâsti : amicum & beneficii memorem putâsti ; fortunásque omnes , & caput illi fortasse credidisses , qui amicâ fronte hostilem animum tegebat. Detractâ amici personâ, ingratum, & perfidum deprehendisti. Tibi gratulare. Fecisti, quod sapientissimi solent imperatores : ne per imprudentiam exercitum in discrimen , & extitum, conjiciant, paucos etiam cum periculo præmittunt , qui ignota viarum , & hostium consilia, virésque explorent.

Beneficii unius jactura facta est :

cætera deinceps in tuto
pones.

§. 3.

*Deum tibi scopum esse præfigendum
ingratitudo docet.*

Ista sepono. Christianis armis certare mihi animus est. Cujus gratiâ quidpiam aggredieris? hominisne, an DEI potius? Si hominis gratiam aucupabar, eâ fruere, si potes: & quando brevem, exiguum, inconstanter, acerbam experieris, ne querere: id affecutus es, quod expetebas: alia non est hominis gratia. Certius aliquid desideras? Nisi in DEO, nusquam invenies. In DEO constans, certum, immensum, æternum, & omne bonum invenies. Huic sere; mœsis pullulabit uberrima. Huic milita, stipendia feres liberalissima. Ejus nomine confer plenâ manu beneficia, fœnore plus centeno reponet. ANANDER. Non propterea hominum divertet ingratitudinem. Da mihi, qui sincerissimâ mente DEUM quæsierunt. Quis in ingratos non incurrit? ANICETUS. Nihil ex eo conficis. Quid intereat, perieritne, an supersit apud mortales beneficij memoria? Peribit certè mox cum ipsis mortalibus. Et verò pereat, si vivit apud DEUM, cui tua omnia consecrâsti: qui, quam-

diu DEUS erit , rectè factorum num-
quam obliviscetur. Huic uni militas,
& imperatori summo, potentissimo sa-
cramentum dixisti : cur ad vilem cacu-
lam respicis, & ab eo stipendia flagitas ?
ANANDER. Ab homine nihil exspe-
cto. Beneficium saltem agnoscat ? **ANI-**
CETUS. Istud est aliquid profecto ex-
spectare. Nec ea te cura sollicitaret,
si uni Deo sincerè studeres. At error
est iste non levis , notusque paucis,
quamquam Divino vulgatus oraculo.

(a) *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ? Nonne & pub-licani hoc faciunt ? Et si salutaveritis fra-
tres vestros tantum, quid amplius facitis ? nonne & ethnici hoc faciunt ? Vide quām
procul absis virtute Christianā : nonne
& procul absfuturus ejus præmio ? San-
cte ut tibi dem soli te D E O servire ; si,
quam ab homine non ingratu præmii
speciem accipis, meritò formidare de-
bes, ne impuriorem mentis oculum de-
inceps in D E U M intendas, unāque
palmæ surculum nobiliorem incidas.
Contrà si parvi penditur, quod D E I
nomine contulisti beneficium, si ingra-
tā ab hominibus sepelitur oblivione,
omnem ab illis mercedem agnosces
fru-*

frustra sperandam esse : sed ab eo venturam liberaliter , cuius profusam munificentiam numquam extinguet mortalium ingratitudo , & qui *solem suum oriri* facit super bonos , & malos : & pluit super justos , & injustos. (a)

Nullum ergo tibi malum creat ingratitudo , quæ & mercedem parat puriorum , & DEO sequendo propriùs admovet.

CAPUT VIII.

Ne accusationes , ne damnationes ipsas timeto.

ANANDER. Non admodum ægrè fortassis ferendam quis censeat ingratitudinem , aut perfidiam , æquè ac invidiam , odiūmve . si modò animi finibus coērceantur ; illisque omnibus nequaquam se lædendum existimabit , quando satis scit , non illam inesse vim hominibus , ut solo mentis connisu malum inferant. Verùm quid denique censes , si secundæ hominum existimationi , famævè detrahant , si calumnientur , in jus trahant , neglectâ omni juris dicundi formâ accusationem instituant , impellântque in damnationem ?

(a) Matth. 5.

nem? ANICETUS. Hisce dubitationibus credidi factum satis, quando contemnentem evici à viro sapiente contemendum esse: eamdem quippè singularum esse rationem. ANANDER. Ego verò longè diversam arbitror. Quod animo quis concipit, aut effutit ore, quis nescit ab ignorantia, levitate, perturbatione animi venire; atque adeò non magni faciendum? At quod in iudicium profertur, certum est omnibus, non nisi mature præmeditatum esse, certo consilio suscepit, validisque firmatum rationum præfidiis: ideoque plagam incuti non paulò graviorem.

§. I.

Si nocens es, pro merito patere.

ANICETUS. Ne trepida: etiam pro tribunali securiorem te sistam. Si quidem peccasti, non ab accusatore, sed à teipso lædi te jam ante probatum est: immo accusationem, atque condemnationem beneficii loco habendam esse contendit Plato. Divinè, ut solet, differentem audi. (a) *Injuriantem pœnas non dare, malorum est maximum: ejus mali solutio est pœnas luere: eas verò effugere, mali perseverantia.* Igitur inter mala se-

cum-

(a) *Plato in Gorgia.*

cundum obtinet locum, inferre injuriam: efficere autem ne injuriarum subeatur pæna, omnium naturā maximum est, primūque malorum. Ergo cavendum, ne per nosmetipos primum cuiquam injuriam inferamus, tamquam satīs mali ob hoc ipsum habituri: tum seu per nos, seu per alium nobis charū illata fuerit injuria, sponte nostrā judici nos puniendos tamquam medico festinanter offeramus, ne in viteratus injuria morbus sic inficiat animam, ut insanabilem reddat. Ad defendendam igitur, aut excusandam nostram, vel amicorum injuriam, Rhetorica non utendum; sed potius ad accusandum, primò nosipos, deinde amicos, ut pœnas persolvamus, & sanemur: tum etiam ut nos, & amicos exhortemur, ne torpeamus, ne expavescamus; sed forti animo, & quasi conniventibus oculis; judici tamquam medico sanandos, urendosque nos tradamus, bonum ipsum, honestumque sequentes, dolore contempto. Post illam Ethnici hominis fortitudinem, quem non pudeat de accusatione queri, ceu vulnere accepto?



§. 2.

*Innocens accusaris? Hoc melius, quam
in triviis apud plebeculam inique
traduci.*

ANICETUS. Ad judicem insons rap-
peris? Si times accusatorem ad fe-
renda vulnera comparatum; & tibi ad
vitanda tempus datur. Aperto marte
se peti gaudet generofus miles: videt
quibus armis, viribus, & unde petatur:
atque adeò ignorare non potest, quan-
do stringendum ferrum, quibus uten-
dum armis, quam in partem objicien-
dus umbo, quà petendus hostis. Si
clam, & te ignaro, in popinis, & late-
bris nomen tuum proscinderetur, suf-
fossa veluti cuniculis munimenta tua
corruerent omnia: inauditus damna-
reris: nudum hosti præberes latus:
nec ullò te satìs clypeò teгерес. Nisi
cum singulis manus conserueris, apud
quos nomini tuo detraxerint adversa-
rii, Æthiopem lavas: quod difficile
quam sit, ipse plus satìs vides. Ve-
rùm esto: singulos à te conveniri facia-
mus. Singuliste persuasum speras?
Hunc tui odium instigat, illum irri-
tat adversarii tui studium, & favor;
alium abalienatio à gente, vel patriâ
tuâ:

duā: istum fortassis avertit insita nescio
quæ obtrectandi libido : alios alia. Ut
post multam disceptationem, si paucos
aliquos ad veritatem agnoscendam re-
vocaveris , opinioni priūs conceptæ
plures adhærescent. Jam vero cau-
sam ad judicem esse delatam gaude:
detestæ sunt insidiæ , exarmati hostes ,
datus est tuæ defensioni locus. Uni ju-
dici si te probaveris innocentem , vici-
sti : tum quia mentientem facile redar-
gui, sermone tritum est ; tum quia me-
liorem sui partem judex tibi servavit.
Si viceris , indubitatum habes inno-
centiæ tuæ testimonium , etiam publi-
câ firmatum authoritate.

§. 3.

*Litem protrahi ne querere: eò magis
innocentia clarescit,*

ANANDER. At quoties ambagibus
mille, & comperendinationibus in
annos à rabulis forēsibus lites protrahun-
tur, & æternæ quodammodo evadunt?

ANICETUS. Quotidianum istud est.
Sed illam adversarii quasi fugam , non
sentis inchoatam esse victoriam? Ubi
hostis primo ferme congressu funditur,
aciem postea non difficulter restaurat,
fugatis potius copiis, quam accisis. At

anci-

ancipiti aleâ , si diu, multumque dimicatum est ; deletis ad internectionem hostibus debellatum est. Non multum aliter post longam in judicio concertationem æquitas causæ certior emicat , instar solis alicujus purioris post fœdam , ac diuturnam tempestatem. M. Catonem Majorem quadragies sexies reum causam dixisse ferunt , semperque absolutum. Molestem id, non nego. Sed integritatis quod illustrius optares monumentum ? ANANDER. Domestica mihi res interim exhauditur ab Harpiis istis forenibus. ANICETUS. Neme ad cramben revoces. Suprà confessus es contemnendam rei familiaris jacturam. ANANDER. Da istam veniam memoriæ, cuius levitas tibi jam plus vice simplici molesta fuit. Aliud ergo. Quid si judicis sententiam mors antevertat ? ANICETUS. Tibi dicam accidisse , quod imperatoribus plerisque, quos fortiter dimicantes nox diremit. Quemadmodum neque viator evasisti , ita & invictus abscedis. Imò ad certam abis victoriam. Invenies quippè judicem , qui neque comprehensiones recipiat, neque faciat ampliations , quem neque calumniis accusatores fallant , nec perjuriis illi testes

teftes imponant ; cui tam amica est & nota veritas , justitiáve, ut nisí pro illis nullam ferre sententiam velit, & possit. ANANDER. O beatam ter, & amplius mortalium conditionem , si judices in hac vitâ nanciserentur incorruptos ! Sed heu ! aurea dudum præterierunt sæcula : modò versamur in fetreis , quando

— *Terras Astræa reliquit.*

ANICETUS. Et tu ex illis es, Anander, quibus nihil probatur, nisi à proavis , & tritavis transmissum; dilplicent, quæcumque hodierna sunt ? corruptissima nescis judicia ab antiquioribus historiis narrari ? Negare ausis inveniri hodie integerrima tribunalia, quibus cruciatibus omnibus acerbior sit quæcumque injustitia ? ANANDER. At frequentissimæ sunt lachrymæ, & clamores querentium de judiciorum corruptelis. ANICETUS. Sed à quibus illæ profluunt lachrymæ, clamores eduntur ? Ab iis nimirum, qui in suâ se causâ judices constituerunt, & suos ipsi judices damnant inauditos ; qui plerumque non magis intelligentiâ leges, quam digitô cœlos attigerunt ; qui vitâ , moribûsque sunt inquinatissimi. Et illos, Anander, audiendos putabis contra

contra amplissimum ordinem , quem
Princeps, vel resp. constituit, viris non
modò legum , jurisque prudentiâ , sed
& vitæ integritate selectissimis. ANAN-
DER. Non ista temerè declamitant,
sed ex sententiâ jurispritorum , quos
causæ suæ patronos adsciverant. ANI-
CETUS. Sed & suos habuit patronos
pars adversa. Ultra alteri cedet? nón-
ne quibus addixerint illi , quos veluti
medios resp. constituit?

§. 4.

*Si damnaris , non ed nocens es: nec
ignorat Deus, Christo te socium
habe.*

SED quando probandum mihi sumpli-
lædi te nunquam ab alio : constet
verò in te, non alio , mali tuī causam
esse, quoties à jūdice nocens damna-
ris : mihi connitendum est docere, ne-
que tum ab alio lædite, cùm innocens
damnaris. Hoc ergo tibi demus (ut
certè verissimum est) iniquum inve-
niri subinde judicem , qui contra jus-
fásque te damnet. Num ab illo pro-
pterea læderis? Si quemadmodum pro-
nuntiat , ita te suâ sententiâ faceret
vel sciarium , vel expilatorem ærarii ,
vel

vel perjurum , aut alio quovis flagitio
contaminatum ; grave profecto vulnus
infligeret. Sed istorum nihil. Tua sibi
æquè post sententiam constat innocen-
tia. Multa penditur , irrogantur pœ-
næ , judicem opinione sequitur univer-
sa multitudo : at non superi , qui nō-
runt infontem , absolvéntque olim
majore gloriâ. Quæ flagitia , quam
impietatem illi sanctissimis Martyribus
olim non affinxerunt ? Num gloriæ hi-
lum detraxerunt ? Effecti sunt profecto
clarissima Ecclesiæ lumina , omnis san-
ctitatis exempla purissima , invicta mo-
numenta fortitudinis Christianæ. Chri-
sto Domino quid purius , quid potuit
esse sanctius ? reum mortis pronuntiâ-
runt : Cruci , ut infamem latronem af-
fixerunt. At nihil ei decepsit. Quo
triumpho rediit ad vitam ? in cœlos
quantâ gloriâ invectus est æternum
triumphaturus ? Nimirum innocentiae
nihil etiam judicum sententia peribit
unquam.

C A P U T I X.

Nec ulla malo exilium te afficiet.

ANANDER. Mentem tuam, Anice-
te, necdum capio satîs. Quomo-
do

do nocituram negas damnationem ;
 quæ (ut alia taceam , quæ expende-
 mus postea) rerum omnium humana-
 rum suavissimâ spoliat : pelit inquam
 patriâ , atque charis omnibus avellit ?
ANICETUS. De patriâ jam antè dixi.
 Age tamen rursum.

§. I.

Sponte exulare potes.

EXulare cogor : inquis. Cur coge-
 ris ? Volens abi , & sponte tuâ . Sic
 impedies, ne cogaris : erit peregrinatio,
 nec enim violentum censetur, quod vo-
 lenti fit ; & necessitatis , quam velut
 adamantinam sibi fingunt , vim om-
 nem elides. **ANANDER.** At liquet ;
 omnib[us]que æquè ac mihi constat me
 pelli. **ANICETUS.** Audi Petrarcham.

(a) *Num te Rex pellit , inquit, an tyrannus , an populus , an hostis , an tu ipse ? Nam si rex ; aut injustum exilium non erit ; aut ipse non justus : atque ita ne rex quidem. Si tyrannus : ab illo te pulsū gaude , sub quo boni exulant , fures impe- riant. Si populus ; moribus ille suis uti- tur , bonos odit : Et hic quoque multi- ceps tyrannus numquam sui similem pe- pulisset. Non te igitur patriâ , sed malo- rum*

rum cætibus arceri ; neque in exilium, sed in partem bonorum civium cogi putas. At si hostis ; agnosce injuriæ levitatem ; non hostiliter sæviit, qui, omnia cum possit, patriam abstulit, spem reliquit. Sin tu ipse mores populi, aut tyranri perosus, abitum elegisti ; ne doleas, sed etiam gloriar e virtutem patriæ prætulisse ; nec tu flebilem, sed honestam, & prorsus invidiosam bonis, optabilèmque, non jam exilii, sed absentiae causam habes.

§. 2.

Omnis terra patria est.

ANANDER. Censes, Anicete, patriam sine dolore deseriri posse ?
ANICETUS. Angusti animi homo es : angustisque te finibus claudis ; quibus te natura clausum noluit : nullam quippe cuiquam fecit patriam : non magis, quam domum, aut agrum, inquietebat Aristo ; quæ Luculli, vel Senecæ tamdiu dicuntur esse, quamdiu possident Seneca, vel Lucullus. Homo enim, ajebat Plato, planta est, non terræ infixa, aut immobilis ; sed cœlestis, cuius caput, ceu radix, in cœlum obvertitur. Cur terræ tu affigis ? Hercules sanè Thebanum se, aut Ariguum, aut alterius urbis cujuscumque civem negabat

bat, omnémque Græciam affirmabat sibi patriam esse : sed sapientius universum mundum Socrates. Ex quo Plutarchus : *Vides (inquit) sublimè fusum, immensum æthera, qui tenero terram circumvectu amplectitur ? Isti sunt patriæ nostræ termini : neque hic quisquam exul, hospes, peregrinus est, ubi idem ignis, aër, aqua ; ubi iidem gubernatores, atque dispensatores, sol, luna ; ubi eadem omnibus leges, sub eodem magistratu, solsticium æstivum, bruma, æquinoctium ; ubi unus rex, Æ princeps Deus, principium, medium, finemque complexus universi.* ANANDER. Omnem terræ ambitum mortalibus habitandum concessisse DEUM ista probant. Verum ea cuique patria sit, quam incolit. ANCETUS. Quas tu punctum in partes secas ? Nónne terram universam cœlo collatam instar esse puncti demonstrat Mathesis ? Nos veluti formicæ, vel apes si ex uno formicarum nidulo, vel alveari deciderimus, peregrinos, & exules nos esse factos deploramus, quasi in terram alienam deportati. Ridemus illum, qui dixit meliorem Athenis esse lunam, quam Corinthi. Quantò minùs ridendos existimas illos, qui extra patriam constituti, terram, mare,

re, aërem, cœlum attoniti considerant, tamquam diversa ab illis, quibus assueverant? liberos certè nos natura, solutosque genuit: cur nos in angustiis concludimus? cur veluti colligatos in catastas conjicimus? Non absimiles nimirūm Persarum regibus, quos ita folius Choaspis aquam bibere voluisse narrat Plutarchus, ut reliquum terrarum orbem sibi facerent aquæ expertem. Argutè profectò Diogenes: cùdā per convitum dicenti: te Pontō Sinopenses exulare jussérunt. At ego, inquit, illos hâc damno pœnâ, ut in Ponto, extremisque Euxini littoribus perpetuò maneant. Tam enim miserum est manere cogi nimiò patriæ desideriò, quām cogi exulare. Quippè qui ubique patriam putat, si jubeatur exulare, unius tantum civitatis exul est: at qui nusquam, nisi in patriâ vivere potest, plurimarum regionum exul est. Ex quo sapienter infert Cicero. (a) *Exilium terribile est illis, quibus quasi circumscriptus est habitandi locus; non iis, qui omnem orbem terrarum unam urbem esse dicunt.* Minimè profectò Anaxagoræ: qui cùm Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, vellétne Clazomenas

menas in patriam , si quid accidisset , referri ? nihil necesse est , inquit ; undique enim ad inferos tantumdem est viæ.

§. 3.

Ibi patria , ubi virtuti locus.

ANANDER. Multa sequuntur nihilominus exilium incommoda. Quis neget ? nec verò aliter sapientes , & æquissimi judices ceu pœnam sotibus arrogarent. A N I C E T U S. Naturâne rei pœna sit exilium , judicis parum interest ; si opinione saltem eorum sit , quos vel castigatos vult , vel à flagitio deterritos. Ita hominum turbam opinari satîs constat ; hoc ad propositum mihi finem nihil facit. Quid malî naturâ suâ ferat exilium , demonstrari posse non arbitror. Nec enim quidquam ab ipsâ exilii terrâ timendum est , quandoquidem sit : *Omne homini natale solum* : quemadmodum satîs , superque jam antè confirmatum est. Nec à civibus , aut incolis ulla spes esse potest : oderunt illi te , & contra fas insontem finibus suis pellunt. A peffimis ergo te pulsum , insere melioribus : neque te patriâ , sed patriam te indignam , rebus proba. Sentiat illa , quid per-

perdiderit : tu nihil te perdidisse sentias : & exilio procul aberis. (a) *Ibi quippe est exilium, ubi virtuti non est locus:* inquit Cicero. Cum quā nimirum omni justo honori exulandum. Quamobrem sapienter olim Themistocles. Hunc serunt Seriphio cuidam in jurgio respondisse , cùm ille dixisset, non eum suā , sed patriæ gloriā splendorem assecutum : Nec hercule , inquit , si ego Seriphius essem , nobilis : nec tu sī Atheniensis esses, clarus unquam fuisses. Ibi verò,nec usquam alibi patriam esse , ubicumque bene est , affirmabat Teucer. Ibi autem est quām optimè , ubicumque virtuti locus est. Quis porrò locus sit sub vastissimo illo cœlorum ambitu , qui virtutem non admittat ; qui modestiam , fortitudinem , justitiam exerceri prohibeat ? Da , si potes , sub sole regionem aliquam, in quā non aliqui sanctitate , sapientiā aliqui fluerint. Indigenam quis dicat illum esse oportere , virtutem isthinc colere quisquis instituerit ? Veteres philosophos recensere nolim , quorum plurimi, ac serme nobilissimi, extra patriam claruerunt. Percurre animò tot sanctos Episcopos, invictos Martyres,aliā-

que Christiani nominis columina : paucos initò numerò reperies in patriâ suâ floruisse : apud exterros excelluerunt longè plurimi. Numquid ea Christi est sententia ; (a) *Nemo proprieta acceptus est in patriâ suâ?* Quare si neque corpori vires , ac valetudinem tollit exilium ; nec intelligendi , judicandive facultatem , ac felicitatem imminuit , nec honesti colendi copiam aufert ; quod tandem Malum formidas ? Fortunarum times eversionem ? At negligendam esse jam dudum concessisti . Atque, ut non concederis , multos constat majores extra patriam opes , dignitatésque collegisse , quām in patriâ sperare potuissent. Hoc apud Regem Persarum fatebatur Themistocles , cùm dicebat : Perieramus , nisi periisssemus . P. Rutilio conspiratione Publicanorum Româ pulso , & Asiam petenti , omnes provinciæ illius civitates ejus secessum operientes , legatos obviam miserunt . Exulare hoc , an triumphare iustiūs aliquis dixerit ? *Sine ergo tyrannos savire , (inquit Petrarcha) sine populum furere , sine hostes , ac fortunam fremere . Pelli potes , capi , cædi , perimi : vincî autem non potes , nisi manum extuleris ; neque*

que ornamentiis tuis spoliari : cum quibus
quocumque ieràs , & civis , & patriæ prin-
cipum unus eris . Perge alacer : i securus .
Nescis quām longa sint brachia tui regis ?
Nil illi longè est . Ubique te proteget , qui
protexit in patriâ . (a) Hæc ille : sapien-
ter , ut solet .

§. 4.

Imò nulla toto mundo patria.

Addo , tibi inexpectatum . Cur mo-
dò exulem te incipis deflere , quod
jam pridem debueras ? Quis enim lu-
xit dies , ex quo tibi sol lucere cœpit ,
qui te non viderit exulem ? Omnis vi-
ta peregrinatio nobis est , exilium est .
Apostolo fidem debes . Non habemus
hic manentem civitatem ; sed futuram in-
quirimus . (b) Ergò donec invenerimus ,
peregrinamur : & in quacumque re-
gione versamur , non civitatem , non
patriam habemus , sed diversorium ;
in quo brevi tempore commorati ten-
damus in patriam . Quis aliquando
viator , commodum licet nactus hospi-
tium , amœnum , & rebus instructum
necessariis , sic illi adhærescat , ut ad alia
loca pro itineris sui ratione migrare no-
lit ? Corinthi exulas , æquè ac Athे-

K 4

nis.

(a) Petrarcha dial. 67. (b) Hebr. 13.

nis. Per quamcumque urbem, aut provinciam in cœlum via est ; quæ sola est patria. Cur igitur, dum iter facis, hospitio uno te pulsū esse , illo te carere quereris ; de patriâ nec cogitas ? Nōnne sapienter Anaxagoras ? Rogatus ad quid natus esset : Ut cœlum spectem , inquit. Accusatus deinde, quod parum ei curæ patria esset : imò hanc curo, respondit , digitō cœlum ostendens. Illum sequi ne pigeat. Omnem excute memoriam vilis hospitioli, in quo dies paucos commoratus es , in quo tuum nihil est ; quō si nemo aliis , certè natura olim pellet, nec efferre quidquam patietur. Cogitationem , & desiderium cō verte, quod properas. In cœlum tendis : ibi patria est, ibi chari omnes , ibi tuum omne bonum.

CAPUT X.

A carcere lædi te posse nego.

§. I.

Corpori satīs est exiguum spatiū.

ANANDER. Teneberis hīc, Anicete ; qui natalis soli desiderium lenire studuisti amplissimis terrarum spatiis , quæ patriam appellas. In angustum

cccc

ecce compingor carcerem , & ferreis
vinctus catenis pedem efferre prohi-
beor. Itaque neque pattiā frui datur ,
necque calamitatem solari terrarum
amplitudine. ANICETUS. Tu hac
ratione non magis tencor, quām tuis tu
vinculis. Quid enim te vinciri frustra
deploras ? Corpus certè constringunt
vincula: sed animo, meliore tui parte ,
liberes : nec unquam tenebit ars ulla
Vulcania. Corpori satīs est parvum
aliquot pedum spatium : neque am-
plius occupabit, quando omnem pera-
grabis Europam, Asiam, Africam , &
alias, nescio quas, alio sub sole jacentes
terras. Quæ igitur requiris spatia , cor-
pori benè ut sit ? Natura certè parvō
contenta est. Philippus olim, cùm ali-
quando cecidisset in palæstrā, postquam
conversus impressam in pulvere sui ja-
centis formam vidisset : Dii boni, in-
quit, exiguis est cupiditati nostræ ter-
rarum orbis universus , cuius portio-
nem tantillam natura nobis attribuit.
ANANDER. Amplam in nihilominus
probari habitationem quis ignorat? Per-
farum reges eo nomine felices prædi-
cabant , quod Babylone hiemem, æsta-
tem in Mediā , Susis ver traducerent.
ANICETUS. Quod istud felicitatis ge-

nus est? Num ideo major ille rex, felicitaque est, quod majoribus, & pluribus habitet locis? Si recte quondam Callimachus sapientiam negavit schoeno, seu mensuram Persicam metiendam: cur hominis felicitatem schoenam, aut parasangis metiendam esse statuemus? Polyphemum illum, Monstrum horrendum, informe, ingens, prudentiae tu posilli Ulyssis antepones? Si in parvo corpore non infeliciter habitat ingens animus; quid tantopere est incommodi, si parvo carcere minus corpus retinetur? Non carceris angustiae, sed tua te miserum opinio facit. Quot legimus anachoretas in arenis aestuante sole torridis, procul ab omni mortaliu[m] consuetudine, tuguriolis suâ se sponte clausisse, & vitam egisse beatam? Numquam vel tam angustos carceres, vel tam severam experiere custodiam. Neque repetenda sunt ab antiquo exempla. Innumeræ sunt hodie virgines honesto loco natæ, ætate, formâ, opibus florentes, quæ posthabitis omnibus vitae hujus illecebris, in voluntariam se abdunt custodiam, totamque sumâ austерitate vitam transgunt: nec existimantur miseræ; immo alias quotidiè ad sui pelliciunt imitationem.

§. 2.

Vinculis animus teneri non potest.

AN A N D E R. Dulcescit nimirum,
quod sponte propriâ fertur. ANI-
CETUS. Quid vetat & tuâ te sponte
vinciri ? Vir non potes, quod teneris
virginibus nec ætas prohibet, nec sexus ?
Animum scilicet magis, quam corpus
istæ pedicæ constringunt. Constringi
non vis, eaque causâ stringeris quam
arctissimè. Cujus verò gratiâ non vis ?
Non sanè corporis, cui quod satîs est,
non tollunt compedes. Ergóne ani-
mi ? Times fortasse, ne vinculorum fer-
reorum atteratur affidu. Quid enim
aliud ? O lepidum caput ! Quasi com-
pedes, & catenæ impedire valeant, quo
minus intelligere animus possit, & ju-
dicare. In obscurum dejectus antrum,
non poteris animo quamcumque mun-
di plagam peragrare, percurrere maria,
naturæ arcana scrutari ? in cœlos ipsos
conscendere non poteris, atque ibi or-
bium conversiones, siderum vim, &
occursum expendere ? Quis nescit te-
nebras, & noctis solitudinem Musis
amicam ? ea studiosè Philosophorum
plerique quæsierunt : &

*Carmina secessum scribentis, & otia
quærunt.*

Quæ

Quæ ubi melius, quam in vinculis
invenies? Invenit patrum nostrorum
memoriâ Thomas Morus, Angliae lu-
men clarissimum: & scripsit, quæ non
modò ipsi, sed & posteris essent solatio.
Nónne & Apostolus disertè affirmat^(a)
verbum Dei non fuisse alligatum? De vir-
tutum exercitatione quid dicam? Eáme-
ne carcere, vel catenis prohiberi censes?
sua ubique est fortitudo, modestia, ca-
stitas, temperantia, omnisque ad eam
vitæ sanctimonia: liberiörqre etiam,
ac purior in vinculis, quam in aulis
principum. Impeditam fuisse, ac con-
strictam in vinculis sanctissimorum
Martyrum virtutem quis asperat?
Numquam aliás se fortior erexit, emi-
cuit clarior, magis invicta perstigit. Ita
certè ad illos scribens contendit vehe-
menter Cyprian.^(b): *Imposuerunt compe-*
pedes pedibus vestris, (inquit,) & membra
felicia, ac Dei tempora infamibus vinculis
ligaverunt, quasi cum corpore ligetur \mathfrak{S}
spiritus, aut atrum vestrum ferri conta-
gione maculetur. Dicatis DEO homi-
nibus, \mathfrak{S} fidem suam religiosâ virtute te-
stantibus ornamenta sunt ista, non vin-
cula: nec Christianorum pedes ad infa-
miam copulant, sed clarificant ad coro-

nam.

(a) 2. Timoth. 2. (b) Cyp. epist. 25. ad Martyres.

nam. O pedes feliciter vincliti, qui non à fabro, sed à Domino resolvuntur! O pedes feliciter vincliti, qui itinere salutari ad paradiſum diriguntur! O pedes in sēculo ad præſens ligati, ut ſint ſemper ad Dominum liberi! Hæc illi de Martyribus. At quas antè commemorabam virgines DEO ſacratas, & innumerabilem illam religioſorum ascetarum multitudinem ſpontaneis custodiis inclusit deſiderium, & ſpes omnis honesti liberiūs, & puriūs perſequendi: ut quo longius abeſſent à mundi tumultibus, ſtrepitūque rerum humanarum, hoc altius in cœlos virtutum confeſtatione evehentur; ac hominum congreſſu vita-to in ſuaviorem admitterentur cum DEO conſuetudinem. Nec una ſpes eſt. Testatur orbis universus. Quid igitur horres, quod alii tam ſapien-ter expetunt, quo tam feliciter fruun-tur?

§. 3.

Tenetur tamen animus corporis infelici carcere.

Quereris nihilominus: omnésque (ſi facultas eſſet) diſfringeres cate-nas, atque excuteres, maximam li-cet tibi creare valeant felicitatem; eō-

que nomine complectendæ potius es-
sent, imò optandæ. At contrà in pu-
dendo, & infami hæres, volutarisque
ergastulo; gravissimo vinculorum, plùs
quàm adamantinorū oppressus ponde-
re: & lentus sedes, tuam ignorans ca-
ptivitatem, illámque non aliter, quàm
felicissimam libertatem amas, com-
plecteris, deoscularis. A N A N D E R.
Quid ais? Invisas mihi tolle compedes
has, educ isto carcere: & absolutissi-
mam consequar libertatem. Nec quid
velis aliud, capio. ANICETUS. Scio:
ipsos oculos tenet clausos, ne videatur,
ille, quem dico, carcer. Si tamen au-
res mihi das, faciam ut videoas; ut
exeas non item. DEI quippè unius est
educere, quando videbitur. Aperuis-
se tamen oculos, & videre, media li-
bertas est. **Cancer** igitur ille **infelix**
& què, ac longè plurimis ignotus est
corpus hoc nostrum, quo tenetur ani-
mus arctissimè: animus inquam ille
noster, Divinæ particula auræ, vivum
Numinis simulacrum. omnis corpo-
ræ concretionis expers, immortalis,
sui arbitrii, naturæ arcanorum maxi-
mè perspicax, ad omnem recti honesta-
tem in se effingendam suapte propen-
sus, conditus ad æternam beatitatem:
ille

Nle inquam animus infami hoc tenetur carcere : quo quid vilius , quid inquinatus , quid corruptius ? Dicere pudor est. Sperma fuit fœtidum , mantica fœrdium est , erit esca vermium. Pudendo isto carcere sic clauditur animus , ut nec vilissimum mancipium magis ullâ catastâ . Quod ut intelligas , vide quâm longo infantiae primum , ac deinceps pueritiæ ferme totius decursu , sic in carcere suo delitescat , nihil plus ut intelligere valeat , quâm abjectissimum animal omnis rationis , simul & libertatis expers. Ubi post multos tandem annos aliquid lucis per tenues veluti rimas sensim immisum fuerit : diebus rursum singulis per multas horas ita somno lux omnis adimitur , & carceris sui tenebris sopitur animus , ut non plus videat , quâm si nullus esset. Quod reliquum est temporis , adeò corporeis vinculis constringitur , ut non nisi magno videat labore ; & novâ subinde quiete vires reparare cogatur. Quod porrò videt , (si quidem corporeum non sit) — ita videt immutatum terrenâ quâdam contagione rimarum , per quas immittitur , ut aliud à se censeri posse videatur. Sed quanto gravius est , quod ex eo malum

oritur? Illusus istis quasi larvis animus, quidquid ad sui ipsius cultum, ad honesti dignitatem, ad obsequium Numinis pertinet, ita sibi vel parvum fingit, vel molestum, vel supervacaneum, aut etiam turpe, ut nihil se, nihil cœlo, nil dignum Deo aggredi valeat, nisi ingenti molimine quasi invitatus, & potiore sui parte reluctans. Et, quod omnium gravissimum est, infelicitissimum illum suum carcerem, pendam tot calamitatum scaturiginem sic amat, & deperit, ut suæ se felicitati credat adjecisse, quidquid illi indulserit; contrà detractum sibi persuadeat, quidquid illi negatur. Ignarus nimirum (& illud carceris adscribendura est malignitati) hoc se constringi arctius, gravioribusque onerari catenis, quò deliciis corpus magis affuit. Tanto contrà vinculorum se pondere levari, eoque propius ad libertatem assurgere, quò repressis cupiditatibus corpus rationis frænō arctius coërcuerit. I nunc, Anander: & tui nescio cuius carceris angustias, & calamitates deplora: quibus ut tibi demus teneri corpus, animus tamen admirabili quadam libertate non in humanarum modò rerum, sed divinarum

in-

intelligentiam fertur, imò & sanctum amorem. Sapientius profectò convertes te ad intelligendum illum animi tui carcerem longè infelicissimum, & lachrymis etiam sanguineis deplorandum ; omnique ratione provideres, ut non tam in carcere, quām in regiâ sedere animus videretur, corporis insanas appetitiones rectæ rationis imperio moderaturus.

§. 4.

Longè infelicissimus carcer est peccatum, & prava consuetudo.

C Atenas alias subjicio, non naturæ vi, & necessitate, illius tamen validis quibusdam illiciis, & tuâ ipsius voluntate contextas : peccati inquam, & depravatæ consuetudinis : quibus heu ! ita miseri mortales constringimur, ut velut in custodiam longè miserrimam compulsi, durissimis tot vinciamur catenis, quot vitiis nos subjecerimus. Quippè (a) cum culpa in usum venerit ; ei iam animus, etiamsi appetat, debilius resistit : quia quot vicibus pravæ frequentationis adstringitur, quasi tot vinculis ad mortem ligatur. Sic alienò doctus malo Gregorius : Augustinum suò lugentem

(a) Gregor. l. 4. Moral.

tem audi : (a) Suspirabam (inquit) ligatus non ferrō alienō , sed meā ferreā voluntate. Velle meum tenebat , & constringerat me. Diffregit tamen , Deo adjuvante , sua vincula , & in libertatem sese afferuit. Non omnibus eadem obtingit felicitas. Nam , Gregorio teste , (b) tenent pravæ consuetudines , quem semel cäperunt ; atque quotidiè duriores existunt , & non nisi cum peccatoris vitâ finiuntur. Additque sanctus magister . Sæpè nonnulli exire à pravis actibus cipiunt : sed quia eorumdem actuum pondere premuntur ; in malæ consuetudinis carcere inclusi , à semetip̄sis exire non possunt. Aliásque rursum : Usitata culpa mentem obligat , ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem : conatur , & labitur ; quia , ubi diu sponte perst̄it , ibi , cùm noluerit , coacta cedit. Nullâ hoc re clariūs probabitur , quām horrendo casu juvenis Itali : qui ante paucos annos vitam cùm egisset fœdis voluptatibus inquinatissimam , læthali correptus morbo , animum omancem sacrâ peccatorum confessione ritè quidem expiavit : proximâ tamen nocte vitâ functus , Sacerdotē sequenti manè pro ipso facere misericordiam parantem absterruit , quod æternis addi-

(a) Aug. l.8. Conf. c.5. (b) Gregor. 15. Moral.

addictus esset suppliciis. Causam dabat, quod recurrentem animo turpem voluptatulam, quā se per longam affuetudinem vinciri passus erat, voluntate rursum amplexus esset post factam peccatorum confessionem. Catenas ò infiustas, & exitiales! His miseri tene-
mur sub diaboli tyrannide vinculis: nec expediri connitimus; non ingemi-
scimus: imò nec sentimus. Et senti-
mus, deploramúsque catenas, nescio
quas, quibus noxia hæc membra strin-
guntur, imò (si volumus) expiantur.
Affunde, magne DEUS, hominum ani-
mis lucem clariorem, robur amplius;
ut ferrea isthæc vincula corporibus qui-
dem aliquam, animis vim nullam fa-
cere intelligent: sed carnis, peccati-
que vincula detestentur, execrentur:
peccati quidem diffingant omnes ne-
xus, ac disrumpant, ut in libertatem fi-
liorum D E I emergant: carnis verò (quandoquidem unius DEI sit solvere)
petulantiam generosiore mentis con-
nisu sic atterant, ut debilior in dies li-
beriorem animo in cœlestia vo-
latum permittat.

"E3 : o : E3"

CAPUT XI.

Neque justus à tormentis metus est.

ANANDER. Lanrum priùs sumis,
quān debellaveris. Carcerem
equidem non adē molestum videri
posse fateor, si eam esse quis domum
suam, si patriam esse sibi persuadere
possit. In illo nimirum conquiescet,
vivet sibi, secum habitabit, oculos, &
pedes per illa terrarum spatia circum-
ferre contemnet, quibus arcere ani-
mum nullæ unquam catenæ poterunt.
Verūm ubi ab illâ quietis suavitate li-
ctor excitabit, & ad equuleum rapiet,
loris cædet, lacerabit uncis, facibus,
aut laminis ardentibus ustulabit, tor-
rebit lento igne, in crucem aget; non
expediri tum ille vinculis, non procul
abesse custodiâ volet, quo tormento-
rum evitet acerbitatem?

§. I.

*Mercedis in cælo spe contemnenda sunt
tormenta.*

ANICETUS. Plerosque nascentis
Ecclesiæ heroes legimus, quum
tormenta Christianis audissent appara-
ri, & latebris se tegere possent; ultro se
judicibus stitisse, lictoribus tradidisse
vin-

vinciebant, cruciabantur. ANANDER. Contrà Petrum habemus Ecclesiæ principem à DEO constitutum, solutis prodigijs catenis, exivisse custodiâ. Nonne Apostolis suis ipse Christus præcepit, ut, si quando in unâ civitate persequerentur adversarii, fugerent in aliam? ANICETUS. Monuit idem Christus illos nequaquam esse timendos, qui corpus occidere possent. Timendos, inquam, non esse monuit: non tamen præcepit ultro semper accersendos esse: quæ enim vermiculos ad vitam tuendam instigat natura, homines eadem ad incolumentem servandam impellit. Id vero jam non agimus. Quærendum quippè est, lædatürne quis inter tormenta, & cruciatus, si quando inferantur. Hac vero quæstione minimè fuit opus, ut cui ipso disputationis principio fecerimus satis. Addam nihilominus pauca; quibus opinionem hominum animis justò altius impressam, convellam magis. Ad equuleum, ad tormenta rapi te ingemiscis. (a) *Novum mali veteris lamentum*: (ait Petrarcha.) Numquid enim non antea torquebaris? Inter tormenta natus, inter tormenta vixisti, inter

(a) Petrarch. dial. 65.

ter tormenta moriturus. Quid nunc novi accidit? Mutantur tormentorum species; tormenta non desinunt, Executum tempus ætatis: quem sine tormentis diem egeris, recordare. Aliqua falsis forsitan gaudiis adumbrata reperies, veris autem plena tormentis: quibus, si recte aestimes, nullam vitæ partem vacare fateberis. Unde non immerito quibusdam omnis vita supplicium visa est. Sed vos nihil minus, quam Philosophicæ hæc voces tangunt. Hærent quidem aurium vestibulo; mentis claustra non subeunt. Ad omnem corporis offensiunculam ingemiscitis: animi juge: mortiferumque supplicium non sentitis, illic impatientes, hic hebetes. ANANDER. Quod ista tua vergit argumentatio Anicete? Pollicitus probare nullis me tormentis lædi posse, ostendis totâ me vitâ suppliciis cruciari. ANICETUS. Nullam vitæ partem tormentis vacare ostendi; non invitum te, & generosè repugnantem lædi. Imò si vitæ hujus blanditiis aliorum abductus, illa nec quidem agnovisti: quare proposita felicitatis æternæ spes ad omnem tormentorum vim contemnendam non idem animo robur addat? Si me non audis, ecce planam Basiliī sententiam.

(a) In gymniciis agonibus, ait quotquot

(a) Basil. hom. 4.

prius.

priūs insueverunt tolerandis laboribus pa-
laestricis , neutiquam contrahuntur ani-
mo , aut marent ad irrogatæ plagæ dolo-
rem : magis verò adversarios adoriantur
cominus congressuri , ut qui nihil ducunt
mox adeudos labores : tanto flagrant dè-
siderio obtainendi celebris præconii . Nón-
ne & nos in arenâ pugiles decertamus ?
*A Theophrasto proditum est , orbem terra-
rum theatrum quoddam esse magnum , Di-
vinâ mente repletum , & cœlestis indican-
dæ sapientiæ gratiâ , multis undique collu-
centibus ornamenti illustratum , ac depi-
ctum . In eo autem medio collocatos esse
homines à DEO , ut cum fortunâ , dolore ,
morbis , egestate , casib[us]que permultis af-
fiduè luctentur : DEUM verò ipsum ,
quantum quisque pugnando valeat , quám-
que viriliter fortitudine divinitus acceptâ
utatur , desuper aspectare : addo ego ; &
victores coronare . Non hoc satîs fit
ad magnam suavitatem laboribus illis
inspergendam , quibus tam gloriose co-
ronæ immortalitas comparatur ? Ne
dubita : Basilius affirmat . (a) Eos dixe-
rim Beatos , (inquit ,) qui æquanimiter
ferunt præsentis vitæ incommoda , certâ
sp[ecie] s[eculi] illius futuri ; quique præsentia
æternis permutant , etiam si mediis in flam-*
mis

mis degant. Hos liceat à nobis felices prædicari, ac beatos; eosque vivere gaudio perfusos, non quidem præsentium contuitu angore contractos; magis autem spe nixos eorum, quæ in futurum reposita nobis sunt, mirabili jucunditate recreatos. Ita loquitur vir ille verè Magnus.

§. 2.

Martyres illustri exemplo contempserunt.

ITa Christiani nominis Heroës innumeri fecerunt. Agmen ducito invictus Martyr Ignatius. (a) Utinam fruar bestias, (scribebat ad Romanos) quæ mihi sunt præparatae! quas & oro mibi velocius esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne sicut & aliorum Martyrum, non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam: ego me urgebo, ut devorer. Ignoscite mihi, filioli: quid mihi proficit, ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his, quæ videntur desiderans, ut JESUM Christum inveniam. Ignis, crux, bestiae, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant; tantum Christo fruar. Ita scripsit: neque

(a) S. Hieron. de Script. Ecclesi.

neque segnius fecit. Ad bestias damnatus, cùm rugientes in proximo leones audiret, ardore patiendi exclamavit: *frumentum Christi sum: dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Votorum summam adeptus est. At infractus animi robore juvenis, & martyrii laureâ gloriosus Laurentius, quid dixit; quid fecit? Sanctissimum Pontificem Xystum vidit ad tormenta rapi: num extimuit: *Quò progrederis sine filio, Pater? exclaimavit, quò Sacerdos sancte sine diacono properas?* Tu numquam sacrificium sine ministro offerre consueveras: quid in me ergo disperguit, pater? Num degenerem probasti? Experire certa, utrum idoneum ministrum elegeris, cui committeres Dominici sanguinis dispensationem. Ambitiosiusne potuit Romanum consulatum petere? Quod verò Xystus solarium? Noli, fili, mœstus esse: post triduum me sequeris. (a) O Consolatio! (inquit Augustinus) Non ait, *Noli mœrere, fili;* *desinet persecutio,* *¶ saltus eris: sed, Noli mœrere;* quò ego præcedo, tu sequeris. Ita factum. Tyrannus invictissimi juvenis (b) lacezos artus, ¶ multa verberum sectione

L

scissos

(a) S. August. tract. 27. in Joannem. (b) S. Leo in natali S. Laurentii.

scissos, subiecto præcepit igne torri, (inquit S Leo:) *ut per cratem ferream, quæ jam de fervore continuo vim in se haberet urendi, converorum alternâ mutatione membrorum fieret cruciatus vehementior, & pœna produc^ttior.* Exhorruisse juvenem putas istâ tormentorum diritate? *Ecce, miser, assasti partem; versa aliam, & manduca:* inquit ad tyrannum. Num lætior inter rosas amico potuit abblan- diri? Num in tormentis se credidit age-re? Cum Leone profecto dicendum: *Segnior fuit ignis, qui foris ussit, quam qui intus accendit: & non modò tor-*mentorum ademit omnem sensum, sed animum incredibili fortitudine, vo-luptatéque perfudit. Longius, quam par sit, progredetur oratio, si teneras virgines, sed invictas recenserem. Vivit, & viget apud omnes illarum me-moria, quæ ad flamas, feras, cruces, rotas alacrius convolârunt, quam ad optatissimas nuptias properâssent aliæ. Quos tu magis, quam illæ cruciatus formides, si pari labore pestis obfirma-re connitaris? ANANDER. Parem, bone vir, da mihi causam, & subsidium à superis pariter non defore sperabo. Pro suâ causâ dimicantes deferere non potuit optimus imperator.

§. 3.

In fontibus quibusque pars ratio est.

ANICETUS. Innocentem te in arenam descendere constituo. Nam certè, si nocens es, nil mihi relinquitur disputandum. Læderis enim? tuò malò læderis. At innocens es. DEO curæ non esse quis credat innocentiam?

ANANDER. Inimicorum tamen potentia finit opprimi, subiectique tormentis: neque robur affundi sentio, quod prætulerunt olim sancti illi martyres.

ANICETUS. Aheneum tibi fortasse corpus esse velles, quod nullas admitteret tortorum lanienas. Frusta hoc. Sed aheneum, & impenetrabilem animum tibi facito. Hoc certè potes, adjuvante Numine. Horrendorum cruciatuum tibi propone atrocitatem, quibus expiantur animæ corporibus jam solutæ, maturæ necdum cœlo. Quid par ab inhumanissimis carnificibus timere potes? At potes prorsus expediri. Quanta hinc erit animo voluptas? Asurge altius: in cœlos mentem attolle, & omni felicitate circumfluentem cœlitum fortem suspice. Fortitudini tuæ bravium erit. Certum facit, qui nec calicem aquæ frigidæ sui causâ

propinatum fore immunem appromisit. Quid felicius? Addo, quod etiam nobilius: nihil te DEO similiorem faciet. Indigna pateris? pateris innocens? Factum bonum. Quod indigniora, quod innocentior pateris, hoc propius ad DEUM accedis imitatione, qui indignissima quæque sustinuit longè innocentissimus. Tantâne hominem mortalem gloriâ dignatur cœlestis agonotheta? Paria coronæ tormenta nec inferi valent excogitare. Verè hic (ut semper alias) Apostolus: *Quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplibus nobis, quæ videntur; sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.* (a)

CAPUT XII.

Servitutem Malum non esse statuo.

ANANDER. Ut mala non esse faciamus, de quibus antea disputatus; servitutem sanè quo pacto malis eximes, quam omnium gentium sententiâ, toris viribus quam longissime pro-

(a) 2. Cor. 4.

propellendam esse, nemo dubitat? Nec enim eorum, quæ appetit natura, relinquit quidquam; & in unum aggregat omnia, quæcumque aversamur. Denique naturæ quam consentanea libertas est, tam servitus adversatur.

§. I.

Servos natura nos genuit.

ANICETUS. Quæ quidem à naturâ sit libertas, Anander, non intellico; cùm miserrimâ nos ab illâ premis servitute sentiamus. Et Philosophi, cùm de hominum actibus disputant, iis, qui liberi sunt, objiciunt ex adyfero naturales: qui nimirum à naturâ sic proficiscuntur, ut omne hominis arbitrium effugiant. Quâ igitur ratione naturæ dicemus adversari servitutem? Nullum umquam ab alio gravius jugum feremus. Ita Serapion Sindonita graviter sensit, ipsosque docuit Athenienses, Ægyptiâ eruditus ascesi. Ingressus in eam urbem aliquando, cùm triduum solidum nihil edisset, & nihil haberet quarto die, quo pelleret famem; egenis permisitus locum editorem inscendit, lugubribusque clamoribus Atheniensium fidem imploravit. Concurrere magnô numerô Athenien-

ses, & clamoris causam quæsiérunt.
 Ad quos ille : Exiliō damnatus, ex
 quo patriā absūm, in tres incidi fœne-
 ratores Et duos à me quidem able-
 gavi, eorum importunitate liberatus :
 sed instat, & urget tertius ; & gravi tot
 annorum pensione minimè contentus,
 idem exigere pergit tributum ; neque
 priùs cessat, quam acceperit ; & quie-
 scit ad paucas horas, postquam acce-
 perit. Iniquam importunitatem dam-
 nárunt universi, tertiumque illum fœ-
 neratorem ostendi postuláruunt, quod ejus
 tyrannizii illum eximerent. Contrà
 Serapion : Priores illi duo fœneratores
 Cupiditas, & Intemperantia sunt ; quos
 studio, constantiāque procūl tandem
 amandavi. Reliqua mihi jam est Gu-
 la, quam neque possum omnino pelle-
 re ; neque nisi ad paucas horas ab exi-
 gendo tributo cessare vult. Ita Sera-
 pion. Tu levem illam servitutem ar-
 bitraris ? Nemo unquam tyrannus gra-
 viorem imperavit. Atqui à naturā
 profecto est ; tantāque constringit ne-
 cessitate, ut vitam illi natura tollat, à
 quo constitutum non acceperit pen-
 sum. Jugum fortasse non adeò gra-
 ve diceret aliquis, si unus imperitaret
 is herus. Nihilō clementiorem quis

somnum nesciat? Importunò æquè, ac implacabili imperiò quascumque hominis oblectationes, negotiáve abrumpit; &, quam deflemus vitæ brevitàem, pluribus quotidie horis resecat. Quid invaletudinem corporum, quid intemperiem elementorum commémorém? Nónne tot impotentibus nos heris natura subjecit, quot terrâ, aquis, aëre, cœlo voluit esse res ad vitam sustinendam necessarias? I jam, & liberos naturâ nos esse contendere, quæ vitæ, ac necis imperium dominis proprium innumeris conceffit.

§. 2.

Jure gentium, ac rectâ ratione servi sumus.

NEQUE naturam jure incusaveris novercam. Publicò nationum omnium judiciò servitus ita constituta est, ut nulla illius expers stare possit resp. Quæ gens adeò rudis, & barbara, quæ sine legibus, principibúsque, ac magistribus sibi vivendum esse duxerit? Recole memoriâ omnes retrò ætates: percurre patrum nostrorum memoriâ primùm cognitos ad Occidentem novi orbis incolas: singulas privatorum lu-

stra familias : nemo sinè capite , sinè
legibus usu saltem , & consuetudine
receptis putat esse vivendum. Recte
enim pro suâ orbi notâ sapientia Pla-
to (a) contendebat necesse esse leges he-
minibus ponere , ut secundum eas vi-
vant ; alias nihil à feris discreparent.
Quippe (b) ex quâ civitate jura , & le-
ges expelluntur , (ajebat Hallicarnas-
sæus) in eam seditio , bellumque ingredi
solet. Et Demosthenes : (c) Si leges ab-
rogentur , & cuivis licentia faciendi , quid
quid voluerit , data sit , non solum resp.
pessum ibit , sed nec quidquam intererit in-
ter nostram , & ferarum vitam. Ari-
stoteles verò (d) constanter affirmabat
ab iis respublicas tolli , à quibus leges
tollerentur. *Salus quippe civitatis in le-
gibus est.* Eâ causâ Heraclitum dicere
solitum ferunt , cives non minùs opor-
tere pro legibus pugnare , quam pro
mœnibus : quod absque legibus nullò
pacto possit esse civitas incolumis ; abs-
que mœnibus possit. E quibus omni-
bus relinquitur , non suo quemque ar-
bitrio , sed ex legum præscripto vitam
agere debere. Qui secùs fecerit , pœ-
nis quandoque non levibus , atque adeò
mor-

(a) *Plato l. 4. de Legibus.* (b) *Dion. Halic. l. 7.*

(c) *Orat. 2. contra Aristog.* (d) *l. 5. de rep.*

morte plectendum. Hancce tu libertatem appellabis? Non mera servitus est, alieno sic pendere nutu, ut gravissimas nonnumquam, si forsitan aberraris, subire cogaris pœnas? ANANDER. Sed patriis tu, & justis legibus, patriæque principi, ac patri obtemperas; heri ego impotens, & hostis libidini servire cogor. ANICETUS.

Censes tu, Anander, nullas unquam iniquas esse leges; nullum nisi justum reip. principem? At quam sæpè cives optimos, & de patriâ benè meritos, patriis legibus vel urbe, vel etiam vitâ pulsos fuisse demonstravimus? inquis profectò legibus: quis aliter sentiat? Et illis ergò in patriâ serviendum est. Num hoc felicius, quam apud exterros? Neque hoc equidem tibi dero. Nam si qua tibi in patriam charitas est, inqua hostium tuorum imperia, judiciaque esse, tibi levius erit, quam civium. Et patriatum ergo legum gravis est, & infausta servitus. Quibus nihilominus cum parcere mortales omnes conveniat, quem tu denique veræ eximes servituti? Si porrò publicâ mortalium omnium constitutione servimus universi, quô pactò denique te vis eximium?

§. 3.

*Sponte, nec sine gloriâ nonnulli
servierunt.*

VErum age, servitutem esse faciamus, quâ supra cæteros premantur aliqui; & cum illis ipse tu: quid in eâ mali arbitraris? Bonum certè magnum quæsiit, & lætus invenit Paulinus, ille Nolanorum Præsulum decus egregium. A libertate, & Pontificis dignitate transiit ad servitutem; suóque ipsius arbitrio venditus afflictæ viduæ sui pretio solatium emit: at quantam sibi gloriam in omnes gentes, in omnem posteritatem; quantam in cœlis gratiam? Nulla glorioſior unquam fuit libertas; liberior nulla. Compedes ejus, & manicas nemo prudens, & sanus non magis amabit, quam ornatissima regum diademata. Famæ plûs, & gloriæ istâ suâ servitute promeritus est, quam perpetua peperisset libertas. Serapionem Sindonitam rursum produco. Nobilem & hic serviit servitutem. Alienæ paupertatis levandæ gratiâ, suis se omnibus, etiam vestibus intimis spoliaverat, Evangeliorumque librum vendiderat, ex quo eam se hausisse disciplinam affirmabat.

Pau-

Pauperem viduam audiit quiritantem
neque sibi, neque liberis alendis quid-
quam esse reliquum. Serapion sibi
quod erat reliquum, seipsum vendidit,
viduæque pretium largitus est: non
multo minor hactenus Paulino. Ve-
rūm & felicius serviit. Herum cum
universâ familiâ à gentium erroribus
ad veri Numinis cultum traduxit, &
in Christianam asseruit libertatem ser-
vus ipse. Cujus tu, Anander, herine,
an servi conditionem magis ames? Si-
bi restitutus Serapion, sibi vivere non
potuit. Ingressus alias Lacedæmonem,
ex optimatibus aliquem audiit Mani-
chæorum hæresi mancipatum. Ei se
vendidit; quem sanctâ paulatim con-
fuetudine, vitæque integerimæ exem-
plis cōd pellexit, ut hæreticorum impie-
tatem ille detestatus, orthodoxam am-
pleriteretnr sinceritatem. Gloriosa ni-
mirum est servitus illa, quæ felicissi-
mam dominis parit libertatem.

§. 4.

Nulla virtuti servitus est.

FAllor. Ibi servitus non est, ubi ger-
mana libertas est. Liberum tu fuī-
se negabis Paulinum? negabis fuīse
Serapionem? Quid imperârunt heri,

quod nollet Paulinus, aut Serapion? In hortos ad ligonem, ad aratrum in agros illi mittebant? Aggrediebantur promptissimè. In pistinum ire jubebant illi? Hilares hi exequabantur. Armenia, gregesve pascere, ducere currum, coquinam curare illi imperabant? Pastores, aurigæ, coci quamprimum hifiabant. Denique quidquid abjectum, molestum, laboriosum, arduum imperari posse sciebant; hoc animo suo destinabant, cum in servitutem se venderent. Quam hic servitutem appellas? Fecere semper ambo quidquid lubuit; quia lubuit, quidquid imperatum est. Quæ denique libertas est, si sit ista servitus? Placuisse quidquid imperaretur, ne dubita. Fixum hoc animis, certumque habebant, Numini non posse acceptissimum non esse, quidquid aggrederentur ejus nomine; eoque nobiliores in cœlo parari coronas, quod viliora, quod indigniora, quod graviora, virtutis amore, Deique causâ tolerarent. Impotenter igitur dominetur herus, pudendis oneret probris, ærumnis obruat, sæviat loris, inediâ, vinculis, morte: quod sæviet crudelius, eò nobilioribus animum exerceri virtutibus certum habent; eò glorioius in

in cœlis constitutum exspectant bravium ; eò propriùs ad invictam summi sui Imperatoris Christi fortitudinem accedere se habent exploratum. Quis non concitatisimo feratur impetu, qui his urgetur calcaribus ? Suâ fertur ergo voluntate. Ergo liber omnino, nullam novit servitutem. Impotenti verò heri dominatione sinceram inhiberi non posse virtutem quis non intelligat ? Dic, age, Sodes : quâ fortius, quam servitutis arenâ dimicabit evangelica animi demissio , modestiâque ? Ubi felicius mansuetudo, patientiâque vincet ? Ubi gloriosius triumphabit fortitudo , & magnanimitas ? Ubi clarius lucebit obsequentia, Christianum spontaneæ paupertatis studium , mutua charitas, pietas in DEUM ? Quæ si vera sunt, ô nostram cœcitatem ! qui servilem amamus , & amplectimur libertatem ; liberam aversamur servitutem. Inter catastas, & ergastula liber sibi constat animus : liberum servat virtus. Amplius audeo : Regem facit. Neget ille , quisquis negare ausit : Servire DEO regnare esse. Intrepidè Quintiano Prætori Agatha affirmavit : Multò præstantior est, ajebat, Christina humilitas, & servitus, regum opibus, ac suberbiam.

§. 5.

Omnis est à peccato servitus.

Minimè igitur illa, quam vulgus extimescit horrenda servitus est; quandoquidem, si volumus, tantâ nos beat felicitate. Sed illam time, quæ in ærumnas conjicit, & calamitates numquam satis deplorandas: Peccati inquam servitutem. *A quo enim quis superatus est, hujus servus est* (a) Sapienter quippè Augustinus: *Bonus etiam si servit, liber est: malus autem si regnat, servus est; nec unius hominis, sed quod gravius est, tot dominorum, quot vitiorum.* (b) Et ne dicta hæc supra hominem putas à viris Divinâ sapientiâ præditis: Tullium audi disertè afferentem: *Quis neget (inquit) omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos esse servos?* An ille liber mihi videtur, cui mulier imperat; cui leges imponit, præscribit, vetat, jubet, quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? Si poscit, dandum est: si vocat, veniendum: si ejicit, abeundum: si minatur, extimescendum. Ego verò non istum modo servum, sed nequissimum servum, etiam si in amplissimâ familiâ natus sit, appellandum

(a) 2. Petri 2. (b) L.4. de civit. Dei.

dum puto. Hæc ille. (a) Si per cætera abimus vitia, servitutem nihilominus pudendam serviunt, quicumque illis serviunt. Et tamen (ad eō perversa sunt hominum iudicia) & voluptatibus existimantur affluere, & fulgere dignitatibus, & dies agere beatos. Potor Chrysostomo sit fides. *Barbarum* est, (inquit,) peccatum, tyrannidem exercens in animam semel captam, sed in perniciem eorum, qui ipsum suscipiunt. (b) Hic quod voluptatibus serviat, nec opibus parcit ingenti labore comparatis, nec famæ, dignitatique suæ, nec viribus, aut valetudini. Ille propositos sibi titulos, & dignitates ut consequatur, nullam patitur quietem, somni immemor, & cibi, interdiu, nocturne, sursum currit ac deorsum, itque, reditque viam toties, hunc prehensans, deosculans illum, effectus tot civium servus, quo ambit suffragia. Alius ad opes anhelat. Quantis se excruciat laboribus? Famem, sitim, sudores, morbos negligit; contemnit pericula, irata fulcat maria, vias latronibus, ferisque infestas ingreditur; omnem honesti curam projicit. At denique unum mihi da (quantus verò illorum est numerus)

(a) In Paradoxo. (b) In 2. ad Corinth.

merus?) da unum, qui pluribus simul serviat vitiis. Quantis hic agitatur tempestatibus? quibus volvitur turbibus? Aggerit dexterâ divitias, & profundit lœvâ. Ambit dignitates, & famam prostituit. Voluptatibus studet, & laboribus se, doloribusque encat, variis vitiis varia jubentibus. Quis unquam Euripus, aut turbo navim intactam diversa rapiat? Ea vitiorum est in hominem semel subjugatum tyrannis: tyrannis barbara, immanis, efferrata in eos, qui sese illi subjecerint. At imbellis, invalida, exarmata, si constanter, & generosè jugum detrectas.

CAPUT XIII.

Morbi sapientibus etiam optandi

ANANDER. De morbis aliquid eram subiecturus. Sed ut video, frustra. Quæ námque mentem obfirmant adversum servitutem, & tormenta multò acerbiora, quis non intelligat omnem morborum vim retundere? ANICETUS. Sic habet. Cùm tamen paucos tormenta, morbi universos attingant, & plerisque constantiam non leviter labefactent, subjunquam alia, non quæ censem validiora, sed

sed hominum infirmitati fortasse magis consentanea.

§. I.

*Tam ex lege naturæ sunt morbi, quāns
ipsa mors: quam illi prætentiant:
magno nostro bono.*

ANICETUS. Primum omnium, conditionis tuæ meminisse te decet; hominem esse, atque adeò humani nihil à te alienum: & quām mortalem, tam morbis esse obnoxium; morbos quippè veluti quamdam ad mortem viam natura constituit. Quoties igitur adversâ tentaris valetudine, mortis propinquantis toties comonefieri credito. Parvum istud arbitraris? Philosophiam mortis esse meditationem volebat Plato. Laudatus est S. Joannes Eleemosynarius, quod de sepulchro perficiendo moneri se mandasset, quō suæ mortalitatis admoneretur. Mortis enim memoriâ hominem à peccatis revocari quis nesciat? Cùm ergo morbus ingruit, subit animum mox cogitatio de peccatis, quæ fuerint perpetrata, detestandis, animique dolore expiandis; tum de vitâ correctiorem in statum reducendâ. Num infrequens est, majorem esse post morbos sanctitatem

tatem morum, quām corporum sanitatem? Veternō ille torperet insanō, qui, quem offendit judicem, placare minimē studeret, quando pronam in verbera jam dexteram sentit. Sed torpeat sanè: vel invitus ut plurimū cogetur.

§. 2.

Peccandi facultatem tollunt morbi, vel imminuunt.

ANICETUS. Nónne vires ad peccandum morbi plerumque tollunt? Quis alterius jugulo ferrum intentet, vicini thoro struat insidias, divitis arcā effringat, aliáve ejusmodi desiguet facinora, quem morbi acerbitas membrorum omnium, ac tantūm non mentis fecerit impotentem? Non immeritd sanè felicem prædicavero necessitatem, quæ tantum avertit malum. Sed age, faciamus non omnem tolli peccandi facultatem: imminuit certè, ac enervat morbus. Nam si validissimum hostis nostri præsidium in carne nostrâ positum est (quandoquidem caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem) quis nesciat magnum victoriæ momentum in eo positum esse, ut carnis vires atte-

rantur? Hæc causa cælites omnes, quamdiu mortales in terris egerunt, armavit in corpora sua; bellumque denuntiabant atrocissimum, & gesserunt fortissimè, certi de victoriâ, si corpus debellâssent. Quæ verò inediæ, flagra, vigiliæ, vester cilicinæ, cæteræque corporis afflictiones æquè corpus atterent, ac febris aliqua paulò vehementior? Adde afflictiones illas esse arbitrii tui; quod semper suspectum sit, oportet, propter suavem illam corporis, & animi communionem. At Dei voluntate, imperioque morbus immittitur; qui nec ignorare potest, quâ parte, quâve telo petendus sit hostis; nec minus amat, protegitque fortiter spiritum; quâm carnem odit, & acriter persequitur.

§. 3.

Ad rectè agendum vim morbi conferunt ex certâ Dei voluntate.

ANANDER. Addidisses & illud, ne quid reticeres; ægrotto homini rectè facta plerumque prohiberi, æquè ac turpia. Quid egregium aggrediatur, cui vix liceat vivere? Hunc inorbi vis avocat à rei familiaris curâ, illum ab educatione librorum, alium ab ad-

mini-

ministratio reip. Is clareret in scho-
lis, si faveret sanitas; alter è pulpito
mirabiles in multitudine motus ad vir-
tutem ciceret: iste patriæ fortem in fa-
go navaret operam. Levia tu isthæc
putas à morbis incommoda? ANICE-
TUS. Quæris, Anander, quod attinge-
re nostrum non sit. A tripode futura
non equidem didici. Quanti sæpiissimè
magnorum virorum conatus, & con-
silia in sumum, ne dicam, in authoris
perniciem abierunt; quibus forsitan
saluti fuisset ægrotare? Rectâ, securâ-
que viâ aberrare non potest, quicum-
que Numinis providentiaz ducendum
se permittit. Quæro ego, quod igno-
rare non potes. Quem studiis tuis sco-
pum præfigis? Téne? vel mortalium
quempiam? an DEUM? Video: alium
à DEO dicere puderet. Bene habet.
Ita hominem decet Christianum. Ve-
tum age: si tua DEO vis dicata, si vis
& grata; quid potissimum arbitraris?
Istudne, cuius tibi cæcutienti, & igna-
ro homini venit in mentem? an certè,
quod in æterno Divinæ mentis senatu
decreatum est? Ridiculus ille profecto
famulus esset, qui multis jactabundus
profiteretur promptissimum se ad om-
ne heri sui obsequium; at si forte cer-
to

tō heri mandatō juberetur equos curare, ad boves ipse pro suā libidine curreret, affirmans id esse magis ē re sui domini. Te, tuaque D E O devovisti: qui hoc unum à te modò, nec aliud requirit obsequium, quām animi æquitatem, & fortitudinem in perferendis, ac superandis morbi molestii. Illam unicam exhibe: & D E I tui certissimam voluntatem numeris omnibus absolvisti. Quid tibi nescio quod domesticæ, publicæque rei fingis incrementum? Quæ tu mihi somnia de prospero litterarum, armorumve progressu proponis, ad Divini nominis amplificationem plurimum factura? Ista quis à te requirit? Quid sunt, nisi capitis somniantis deliria; quæ vel supra vires sint, vel numquam eventura, vel si evenient, interitum tibi creatura? Deo te parenti optimo fine, qui neque nisi tuo bono quidquam pro suā sapientiā decernet, neque faciet pro sua pietate.

§. 4.

Exemplis probo.

Quod probavi argumentis, exemplis monstrabo. Mirati sunt olim principem Apostolorum toti orbis pro-

prodigiis edendis admirabilem, relin-
quere Petronillam filiam suam diuti-
nâ paralyssi affectam: rogâruntque, ut,
quam externis vel umbriâ solâ tam li-
beraliter opem ferebat, eamdem ne fi-
liæ negaret. At ille clariore divinitus
luce persus, id è re illius esse nega-
vit. Ne tamen, inquit, illam sanari
non posse suspicemini; Age Petronil-
la mea, lectum desere, discubenti-
busque ministra. Cœna quippè erat.
Surrexit illa viribus integris, ministra-
vit, & mensis remotis, jubente paren-
te rediit ad lectum, simul & infirmi-
tatem. Sed ubi cum ætate firmius
virtuti robur accrevit, tum denique
sanitati integræ restituta, novum ob-
sequii genus Deo suo cœpit impende-
re. Clarius etiam est, quod Cantua-
riæ ad S. Thomæ sepulchrum D E U S
prodigium edidit. Adierat quispiam
ad S. Martyris sepulchrum sanitatis re-
cuperandæ desideriò. Voti compos,
secum dubitare cœpit, salutine suæ
conduceret ea sanitas. Ad sospitato-
rem ergo suum redit, denuoque sup-
plex rogat, nil aliud daret, quam quod
faceret ad animæ salutem. Rogârat:
imperstrasse quis dubitet? Ab integrâ
sanitate mox in pristinam relapsus est

infirmitatem. Quid de Lidvina virgine illâ admirabili dices? Audebis affirmare ad tantam illam vitæ sanctitatem fuisse perventuram, si numquam ægrotâset? Sanctitati porrò si morbus occasionem dedit, aut illam quodammodo progenuit, non illum arbitraberis omni valetudine optabiliorem? Ignatium Loyolam si nullum lecto vulnus affixisset, sacras, quas perlegit, historias nec digitô voluisset attingere. Si non perlegisset, neque militiam reliquisset: in militiâ denique nec ad illam morum sanctimoniam adspicîset, nec cogitâset, aliquando de Societate JESU condendâ. Nimirum in morbis non minus quam in sanitate Numinis elucet beneficentia.

§. 5.

De mutilationibus idem affirmo.

Sentio: novam hinc instrues aciem, nisi antevertero. Cæcitatem, surditatem, aliisque facultatum naturarium, aut membrorum vel vitia, vel mutilationem oppones; adstruésque violari naturam. Omne feres punc-
tum, si Gratiam dixeris; quæ nimirum unica DEUM admirabili fœdere, amorisque vinculo nobiscum jungit:

&

& illam perdidisse, omne bonum perdidisse est. Violari verò naturam adeò non malum est, ut magnopere etiam quandoque sit optandum; quandoquidem pro sui corruptione DEO nonnumquam adversetur. Quæ causa Christum impulit, ut diceret: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te; abscede eum, & projice abste: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem eternum.* Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abste: *bonum tibi est unum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* (a) Capis DEI docentis mentem? Ecce si ab oculo, si à pede, manuque tibi periculum est, inquit, abscede, erue. Quād durum istam in se carnificinam exercere! Ab non multo levius, si natura, casusve, aut cujusquam malevolentia tui partem aliquam sustulerit, animi retinere æquitatem? Quippe nō factum effet, tuā id exequi manu jubebaris. Eō solitus imperiō, solutus es insuper anxiā illā curā, vigilantiāque, quā debuisses in id incumbere, ut ne qua peccato pateret in animam janua. Heu! quam multi

(a) *Matthæi 18.*

multi sensibus mortem quotidie hau-
riunt! Manu, pede, membrisque aliis,
quām multi mortem sibi conciscunt
æternam! Et gemis tu, si pereundi oc-
casio tibi sublata est? Verum, & rectè
faciendi sublata est: inquies. Ego ve-
rò illam tolli numquam posse conten-
do. Quām acceptum Numinis fore
donarium arbitraris, si tuam istam mu-
tilationem, quamquam non tuā factam
voluntate, tuā tamen illi dicaveris vo-
luntate, consecrārisque? Præterea quām
DEO deferres obsequentiam, si corpore
esses integer, illam ipsam modò quid
vetat deferre? Dic, quo potes ardore
animi: Si mille oculi, manus effe-
mihi mille, omnes nomini tuo, DEUS
meus, vellem dicatas: malimque in-
terire millies, quām oculo vel unico,
unicāve manu te leviter offendere. Dic
istud, Anander: & mihi crede, ma-
gnum feres sinè periculo è re non tuā
præmium.

§. 6.

*Prodromi denique aeternæ felicitatis
morbi sunt.*

Addo pro coronide, morbos esse mi-
seris mortalibus, quod tempestate
jactatis sunt Helenæ fratres. Quem-

admodum hi secuturam proximè serenitatem præfagiunt, ita malorum omnium finem morbi. Dic, age: si molestissimo diu clausus carcere, male materiatum parietem rimas agere, minarique ruinam animadverteres, non gauderes fugæ, liberatique tuæ viam aperiri? Annis sensim, malisque, ac denique morbis satiscit corporis molles: gaude: libertas animi proxima est: suis mox vinculis evolabit in patriam. Quid contrà gaudes revalescente nonnihil sanitate, & non aliter quam subsidente vi mali respiras? Vin' scire, quid istud fiet? Est ex ipsis portus faucibus referri in altum Aquilonibus exacerbatum; ubi post novas procellas, & turbines in Scyllam fortassis, aut Charybdim abripiaris; ad saxa fortassis latentia, fortassis ad Syrtes allisus naufragium facias. Atque ut meliora ominemur: è mediis fluctibus in portum novis laboribus erit denuo remis, velisque contendendum. E morbo, inquam, convalefcere nihil aliud est, quam reparatis ruinis firmiore claudi carcere, novisque compedibus constringi. Est, ab ipsâ, quam propemodum manu contingebas, metâ revocari ad carceres. Est hostem duro conflictu

fictu prostratum surgere , reparatisque viribus certamen instaurare. Optare potes convalescentiam , si ista judicas esse optanda. ANANDER. In altum ipse tu referri videris , Anicete , quem jam portum subire credebam. Recedis, inquam, à metâ: prostratisque morbis, novum ipse hostem lacefis , dum felicitatem ostentas ab iminente morte, quam debuisses amoliti quam longissimè. ANICETUS. Sciebam illum tibi supereffe retiarium , quo non minus disputationem hanc nostram, quam homines universos , opinareris involvendam. Subsist , dum congregior, & retia sic dissolvo , ut in morte libertatem, imò vitam invenias.

CAPUT XIV.

Postremò nec ab ipsâ mortis falce vulnerus metue.

ANANDER. Rem omnium opinione difficultem agrederis : eoque magis , quod sapientissimi quiue cum principe suo Stagyritâ reclamant. Ait enim hic : *Omnium rerum nihil morte terribilius , nihil acerbius.* (a) Vitam quippè tollit, cæterorum bonorum prin-

cipium, ac veluti basim. Quod enim mihi sit bonum, si vita non sit? Et *vita ipsa* (inquit idem Aristoteles) etiam si nullum aliud bonum consequatur, per se tamen amat, optatur, expetitur. (a) Omnes ergo contrâ mortem oderunt, averfantur, fugiunt, etiam animantes ipsæ brutæ.

§. I.

*Mors à natura rebus omnibus conditis
lex data est.*

ANICETUS. Sice est: cœco naturæ quodam impetu ferimur ad nostram incolumitatem. At qui ratione, potissimâ nostri portione gloriamur, ejus magis nos addecet sequi ducatum. Ipsa verò debere nos mortalitatis nostræ meminisse commonet. Illam homini DEUS, illam animantibus omnibus, illam universis rebus conditis imposuit necessitatem; ut quemadmodum cœperunt aliquando, sic olim intereant. Si quam DEUS vitam cui depositum tibi credidit, eamdem, quando lubet, reposcit, quid adeò naturæ mirum, aut insolens? Nam (b) quo primum die nuntiatum tibi est natum esse filium, (inquit Basilius) si quis te rogâset;

(a) L. I. Reth. c. 6. (b) Basil. Hemil. 5.

set: Id, quod tibi natum est, cuiusmodi
censes esse, aut quole? quid tu tandem re-
spondisses? Aliudne aliquid, quam quia
homo est, quod natum est. Quod si homo,
utique mortalis. Quid igitur insolens, aut
mirabile, si, qui mortalis erat, mortuus est?
Solem hunc, ut oritur, & idem occidit,
non perspicis? Lunam non vides augescere
primum, dein deliquio deficere? Quin ter-
ram ipsam contueris nunc progerminan-
tem, mox veluti marcore flaccescentem?
Quid eorum, quae circa nos sunt, solidè
consistit? Quid uspiam est, quod immo-
tam sortiatur, & immutabilem natu-
ram? Suspice cælum, ac despice terram:
neutrum perenniter duraturum est. Ait
enim Dominus: Cælum, & terra transfi-
bunt: Et cælo sidera sident, & collaben-
tur: Sol tenebrescit, Luna non dabit lu-
men suum. Quid ergo admirabile videri
debet, si nos, qui portio qualiscumque fu-
mus mundi, in eorum partem venimus,
quæ propria sunt, & congenita mun-
do? Quotquot ad hanc ætatem ab or-
be condito vixerunt, aut vivunt, exer-
mitne quemquam ab hac lege, vel
eximet aliquando diadema regium,
imperatorium paludamentum, fasces
consulares, victoriarum claritas, opum
magnitudo, amicorum potentia, de-

votio clientum , sapientia , robur ani-
mi . corporisve , aut etiam vitae san-
ctitas ? Nec aliam dabo rationem , quām
quod fuerint naturā mortales . Quid
ergo mortem naturae fingis aduersan-
tem ?

§. 2.

Bonorum usum mors non tollit.

ANANDER. Non istud temere fa-
cio. Naturae quid consentaneum
magis , quām boni prosecutio ? Id enim
antea definivimus esse , quod sui gra-
tiā omnes expetunt . Expetimus ergo ,
& totā animi contentionē , quod bo-
num esse persuasum habemus , perse-
quimur . Et quando laborum fructus
metere destinamus , mortis ipsi falce
demetimur . ANICETUS. Haud satis
scio , ex tuāne , Anander , an vulgi
mente loquaris : adeò parum hærent ,
quæ objicis . Primū omnium ; quod
tuæ tu messi tempus adscribis ? Quippe
quām certa mors est , tam incertam esse
scimus illius horam . (a)

*Quis scit , an adjiciant hodiernæ crastinae
summae
Tempora Dii superi?*

Non

(a) Horat. l. 4. Oda 7.

Non injuriâ Tullius nonnullis, ne-
scio quæ sibi somnia fингentibus suc-
censet. Pellantur istæ ineptiæ pœnè ani-
les, (inquit) ante tempus mori miserum
esse. Quod tandem tempus? Naturæne?
At ea quidem dedit usuram vitæ, tamquam
pecuniæ, nullâ præstitutâ die. Quid igit-
tur est, quod querare, si repetit, cum vult?
Eâ enim conditione acceperas. (a)
Vis aliter? Omne tempus est mortis.
Ita contendit Seneca. (b) Quotidie mo-
rimur: quotidie enim demitur aliqua pars
vitæ. Et tunc quoque cum crescimus, vi-
ta decrescit. Infantiam amisimus, dein-
de pueritiam, deinde adolescentiam: us-
que ad hesternum quidquid transiit tempo-
ris, periit. Hunc ipsum, quem agimus,
diem cum morte dividimus. Quemad-
modum clepsydram non extreumum stilli-
cidium exhaerit; sed quidquid ante de-
fluxit: sic ultima hora, quâ esse desini-
mus, non sola mortem facit, sed sola con-
summat. Omni ergo metendum horâ,
si laboribus frui animus. Sed quæ sunt
illa, quæ demetere statuis bona? Ho-
nores, opinor, amicitias, opes, volupta-
tes, & his similia, quæ mihi priùs non
esse bona concessisti. Quomodo igitur
illis carere jam malum est? aliud ur-

geo. Tibi hoc dolet, quod illis frui morte prohibearis. Cur non potius, quod tuâ cupiditate prohibearis? Ecce persequendis bonis illis jam annos quadraginta vixisti, aut verius perdidisti partis quippe numquam contentus, novis semper parandis inhiâsti; neque explêsti, cupiditatem, explebisque numquam, si vel alios quadraginta annos vixeris: & de te verum canet poëta, quod de hydrope.

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Justior sanè Theophrasti querela, quam illa tua fuisset; qui moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis, & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset: hominibus, quorum maximè interfuisset, tam exiguum vitam dedisset. Quærebatur igitur se tum, cum aliquid videre cœpisset, extingui. Honestô nimirum sciendi desideriô tenebatur: cui tamen etiam per mortem fieri satîs, mox dicam. Si de rectè factis, virtutibûsque (quæ verè bona esse probavimus) tibi sermo fuit: ne dubites: omni vitâ uberrimus tibi fructus erit ipsa conscientia; qui nec ipsâ morte marcescat: efflorescet potius in immortalitatem, quæ summâ cum felicitate conjuncta,

in mercedem non nisi virtuti parata est.
Ut omnibus potius votis expetendam
ex eo mortem esse facilè videoas, quām
vel leviter timendam.

§. 3.

Tollit mors omnia mala.

Quid? quod malis te mors liberabit
innumeris? Multis hoc ignoratum,
non illepidè probatur apologó.
Canebat, ut solet, cygnus, morti pro-
ximus. Obstupuit, quæ adstabat, ci-
conia; quæsiútque, quæ res illo tem-
pore faceret, ut cantare, & gaudere
liberet. Bona spes, inquit ille, vitæ
melioris. animo mihi præfigiente fu-
turam felicitatem, in quam ex hac vi-
tâ migrare me intelligo. Non intelli-
gebat ciconia: interrogavítque denuo,
quæ esset illa felicitas? Tum cygnus:
Parvane tibi videtur illa, quod neque
victus quærendi solicitudine, neque in-
fidiarum metu afficiar deinceps, aut ex-
cruciabor? Eadem tecum, Anander,
reputa: vide, quæcumque vitæ huius
appellas mala; & revera (quando
ita lubet) esse faciamus: quām tristè,
miserūmque est, sævissimis tot undi-
que malorum obsideri catervis, quo-
rum vel metus quotidie plus sexcen-

ties exanimet? Beata m ergo prædica mortem, quæ te illis omnibus, & sui ipsius metu liberabit. Nam ubi denique venerit, nec mortem metues, nec optabis: (inquit Petrarcha:) nec præterea dolebis, nec corporis, animique defictibus subjacebis; nec rerum tædiis, aut morbis, aut senio, aut hominum dolis, aut fortunæ varietate lassaberis: quæ si mala sunt, mali finis utique bonus est, Tu paulò antè de his omnibus querebaris, nunc de eorumdem fine conquereris: vide, ne sis iniquus, qui unam rem simul doleas esse, & finiri. (a) Senecam Petrarcha secutus est: secundùm cujus mentem, (b) mors omnium dolorum & solutio est, & finis: ultra quam mala nostra non exēunt. Hæc servitutem invitò Dominò remittit: hæc captivorum catenas levat: hæc è carcere educit, quos exire imperium impotens vetuerat. Levia censebis illa, quid mala nolim esse. Sed audi, quæ ctiam fortissimo timenda esse nemo negat, nisi qui salvus esse non vult. Ita monet invictus athleta Cyprianus. (c) Quid aliud in mundo, quam pugna adversus diabolum quotidie geritur? quam adversus jacula ejus, & tela conflictationibus assiduis dimicatur? Cum avaritiæ

no-

(a) Dial. XI. 3. (b) Ad Marciam. (c) Serm. 4.

nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris secularibus assidua, & jugis, & molesta luctatio est. Quid, inquam? delectat hīc tot inter undique vulnera moram facere? Nam certè ut victor hostem prosternas; supra tamen hominis vires, & felicitatem est, semper ut feras vulnus, numquam accipias. Ideoque clamabat Apostolus: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Num tu Apostolo fortior in tolerandis laboribus, num cautior in depellendis periculis, num felicior in declinandis vulneribus, num firmioribus ē cœlo tectus armis, ut tibi tutum sit adversus tantam hostium sævitiam in arenā certando consistere? Nimia est illa tui fiducia; nimia malorum illorum ignoratio, aut etiam neglectus, quæ mortalem circumfistunt, nec umquam relinquent, nisi morte finiantur.

§. 4.

Iudicit mors in ultimam, & aeternam felicitatem.

AT quanta sunt, quæ morte nobis obtingunt bona? Clarè perspiciebat idem Apostolus, ut malorum atrocitatem, quæ morte terminantur, ita

bonorum exuberantiam, in quam mors
viam aperit. *Desiderium habens dissol-*
vi, (ajebat) & esse cum Christo. (a)
Ne mihi, nescio quas, vitæ hujus illece-
bras ingere; ne mortis incute terrorem:
nec flocci facienda sunt illa omnia, præ
unius Christi mei desiderio, & amore.
Desidero *dissolvi* catenis delitiarum,
quibus me mundus illigavit, quibus
sibi me corpus adstrictum detinet, qui-
bus intelligentiæ retunditur acies, qui-
bus cœlo, Divinisque voluntas abstra-
hitur, quibus vitæ hujus amor in ser-
vitutem redegit, quibus in me tyranni-
dem metus mortis exercet. His om-
nibus desidero *dissolvi*: quo sinceram
asseculo mihi libertatem detur *esse cum*
Christo. Quocum enim felicius *in Christus nobis viam vitæ aperit*; (inquit Cy-
prianus:) hic ad *paradisum* reduces fa-
cit, hic ad *cælorum regna* perducit: *cum ipso semper vivemus*, facti per ipsum filii
Dei: *cum ipso exultabimus semper*, ipsius
cruore reparati. Erimus Christiani cum
Christo glorioſi, de Deo Patre beati, de per-
petuâ voluptate latantes. (b) Ex quo, ju-
re Bernardus exclamat. (c) O civitas
cœlestis, mansio Serena, patria fertilis, &
ampla, totum continens, quod delectat;

(a) I. Philipp. (b) *De præm. patr. cœl.* (c) *Ibid.*

Populus sine murmure, incole quieti, homines nullam indigentiam habent. Quām gloria dicta sunt de te civitas Dei? Sicut lētantum omnium habitatio est in te, omnes lētantur in lētitiā, & exultatione; omnes delectantur de Deo, cuius aspectus pulcher, facies decora, eloquium dulce. Delectabilis est ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad perfruendum. Quae ut magna sint, verō certè minora sunt. Nam ut fatetur Augustinus; (a) facilius possumus dicere; quid non sit in vitā illā eternā, quām quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus aestus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla molestia, nulla tristitia. Ecce diximus quid ibi non sit. Quid autem ibi sit, vis nosse? Hęc nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae præparavit Deus diligentibus se. Malè sanè homo, in hac vitā quid boni habes, quod illis conferas? in morte quid mali, cuius metu à tantā felicitate consequenda deterrearis? Non vanum illud est, & puerile terriculamentum? Audi Bernardum; & finio. (b) Quae nos angit vesania, vitiorum sitire absinthium, bujus

M⁷

mun-

(a) Aug. 3. de Symb. c. xi. (b) Bern. ibidem.

mundi sequi naufragium, vitæ labentis pati infortunium, impia tyrannidis ferre dominium: Et non magis convolare ad sanctorum felicitatem, ad angelorum societatem, ad solemnitatem supernæ latriæ, ut possimus intrare in potentias Domini, Et videre superabundantes divitias bonitatis ejus? Non exultemus jure, & cum Paulo insultamus? Absorpta est mors in victoriâ. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? DEO autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum JESUM Christum. (a)

CAPUT XV.

Disputationis totius conclusio.

ANICETUS. Dabis aliquando manus, Anander? An ultra mortem aliud movebis? ANANDER. Ultra mortem nihil esse video, quod in hanc arenam descendat. Ipsam verò mortem ita debellasse visus es, ut si quæ alia animum ita fugerint, ut in aciem producere non meminerim, nihilominus unà cum morte prostrata censem. Qui enim malum mors non fuerit, quod aliud esse malum possit, quod semper morte levius natura ducet, & à morte reme-

(a) I. Corinth. 15.

remedium habebit? ANICETUS. Hoc ergo gradu consiste: & quæstionem tacitus tecum revolve, pro quâ enodandâ disputationem hanc instituimus: *Lædi Neminem, nisi à seipso.* Mortem ecce fateris non esse malum: ergo neque morbos malis accensendos esse contendes. Consensisti præterea neque exilium, neque vincula, neque tormenta, neque servitutem, neque iudiciorum iniquitatem in malis esse repponenda. Ab ingratitudine præterea, perfidiâ, ab invidiâ, ab odio, tuique contemptu nihil esse timendum vidisti. Charorum funera, fortunam adversam, rei familiaris eversionem, atque adeò & patriæ vastitatem malum non esse confessus es. Quid istorum igitur, aliorumve ejuscemodi, te lædere potest, aut miserum facere? Beatum potius reddent, cùm vel virtutis tuæ testimonia sint, vel ad virtutem, gloriâmq[ue] gradus, & certum incrementum. Eam quippè Numinis esse mentem ostendimus, quoties in infantes ea immittere constituit. At longè alia mens est hominibus, à quibus patimur, inquiet aliquis: sævo, hostiliq[ue] animo perniciem machinantur. Quid ipsi porrò meditentur, parum interest, si de Dei

con-

consilio certi sumus. Venenis nocendi vim indidit natura ; quod ex eo malum ægrotis , quando contraria sic contrariis ars temperavit, ut medicamentum salutare factum sit ?

A solâ turpitudine, & peccato timendum est. Unicum id homini malum est. Malum heu ! exitiale, plurimisque nihilominus ignoratum , aut certe neglectum. Fortunarum aliquid, vel famæ sustulit æmulus, vulnus inflxit, aut quid aliud ? infanis ecce clamoribus, & querelis aër completur ; omnia sùsque deque diceres everfa : nihil satìs sit ad ultionem ; reconciliationis mentionem quisquis inferet , injuriæ factæ particeps habendus est ; de animi impotentia , & perturbatione, quâ gravissimè DEUS plerumque fuerit offensus, filetur ; justam esse , contenditur : qui animi suadeat æquitatem , tamquam homo nihili contemnitur : qui de peccato commoverit, homo importunè austerus rejicitur, exploditur muliebri timiditate ridendus : cùm tamen unicum horrori debeat esse peccatum , omnique studio fugiendum sit ; quia unicum est , & omne malum, quod totam animæ tollit omnino felicitatem , & in ultimum calamitatum omnium ba-

barathrum demergit. Non ea est insania, ibi dolere, ubi nullum est malum; ibi sine sensu torpere, ubi certus est interitus? Non insania est, ibi mortem timere, ubi vita est securissima: ibi vitam complecti, ubi mors est tristissima? Non insania est, illum odisse, malevolentiaque persequi, qui non modò mali nihil inferre potuit, sed virtuti, gloriæque materiam præbuit uberrimam; illum amore, benevolentiaque complecti suavissimè, qui, quod esse debuit saluti, in exitium vertit? Non insania est, inquam, vel maxima, cùm tibi pectus cujuscumque alterius telô sit impenetrabile, propriô illud ferrô, manûque propriâ fodicare, & ima rimari viscera? In caput tuum universi conspirent mortales, cum illis unâ conjurent inferi: &, quem undique colligere poterunt, in te furem, ac rabiem effundant; tu si in gradu confiteris, si tuis te armis texeris, nullum tibi unquam infligent malum; tuâ numquam te felicitate spoliabunt. At ubi semel peccato vel unico tuum nudaveris latus; actum est, transverbaberis; in medium cor ferrum recipies: mortem, inquam, recipies; & mortem æternam. Tanta peccato

vis est : tanta perversitas ! Corrigo me, Anander : nulla peccato ipsi vis , nulla perversitas est , si nolu sis. Clarius eloquor. Peccatum omnino nullum est , sine voluntatis tua secreto. Vis peccatum , ac decernis ? Periisti : de cœlo , de sincerâ animi felicitate præcipitem te detrahis , & in terrimum demergis exitium. Peccatum non vis , & totâ voluntate repugnas ? Salva res est : mali nihil esse tibi potest , quia peccatum non est , quod solum est malum. Malum itaque nullum est , nisi quod tuâ voluntate malum est : & si pateris , tuâ voluntate pateris. Non ergo tyrrannum incusaveris , non lictorem , non inimicum , non prædonem , aut sicutium , non ipsos inferos : non nisi tuâ voluntate , hoc est , à teipso læderis , quotiescumque læderis.

ANANDER. Insaniam hominis deplorandam , Anicete ! Videntes , violentes præcipitamus in interitum. Sed ô Numinis benignitatem numquam satiis prædicandam ! Cervicibus nostris omne malum non viribus , non ferro , non opibus , non amicorum potentia , non clientum multitudine , non petitis ex ultimo orbe remediis , sed voluntate nostra bonus DEUS depellit. Verè sum-

summum est malum, (delicias quamquam mundus suas affundat) ab amantissimi Patris tantâ bonitate vel minimum defletere. Summum contrâ bonum est, quamquam inter atrocissimos etiam inferorum ipsorum cruciatus, eidem æternæ bonitati mentem arctissimô charitatis vinculô devinctam adhærere. Da hoc ergo Maxime Deus, Pater Optime; da, ut fluentem proniùs in deteriora voluntatem ita sistam, ut ipsa sibi (cùm aliis nemo possit) malum, quod certè unicum est, & summum, non accerfat. Da (nam supra vires est, si tuo destituar auxilio) ut Divinæ voluntati tuæ (quæ prima mihi beatitas est) meam sic attemperem, ut potius, quâm à tuâ vel latum ungues discedam, omnem tormentorum omnium lubens perpetiar atrocitatem. Da denique, (ne vivam ingratius) perpetua bonitatis tuæ fax è cœlo menti meæ sic affulgeat, ut clarè perspiciam, ingenuèque fatear, mihi quidquid evenerit boni, tuò totum id evenisse beneficîo: quodcumque verò contigerit malum, unius meæ voluntatis perversitate contigisse. Ita voveo: ita sentio. Hanc tibi debeo palmam, Anicete; aut potius, quam principio

284 *Lædi Neminem, nisi à seipso.*

cipio pollicitus sum, civicam. ANL-
CETUS. Illam DEUS in cœlis repon-
nat: & tibi, cæterisque, quotquot
hanc aliquando disputationem ani-
mus legere fuerit, lucem menti, robur-
que perget immittere, quibus peccati
turpitudo, & malitia cognoscatur, totâ-
que fugiatur animi contentionē: quæ-
cumque verò adversa (ut vocant)
contigerint, ea perferantur animi for-
titudine, quæ promissam legitimè
certantibus coronam me-
reatur.

O. A. M. D. G.



INDEX.



CAPITUM ELENCHUS.

L I B E R P R I M U S .

Caput I. *Ingressus in disputationem.* pag. I.

Cap. II. *Lædi est Malo affici. Malum non esse, ajo, quod vulgus appellat.* 4

Caput III. *Definio Malum: ♂ in Morale partior, ac naturale.* 8

§. 1. *Morale est omnino ingens: sed nisi à voluntate nostrâ non est.* 9

§. 2. *Naturæ Malum quid sit.* 11

Caput IV. *Malum esse homini pernego, quod Naturæ dicitur: ♂ evinco tribus Rationibus. Prima esto petita ex ultimo hominis Fine, ac Bono.* 13

Caput V. *Ab hac Sententiâ abhorruerunt, imò illam stabilierunt priscae philosophiae decreta.* 19

§. 1. *Veteres quamquam à Christo alienos censem audiendos; ♂ suum illis non levè momentum addico,* 20

§. 2. *Summum hominis Bonum esse virtutem plurimi philosophorum, ♂ optimè statuerunt.* 23

Capitum Elenchus.

S. 3. Ex ea sententia confecerunt non esse,
quæ vulgus Bona opinatur. 27

S. 4. Neque censenda, quæ passim Mala
habentur. 30

Caput VI. Idem Sancti Patres, & nihil
frequentius docent, aut fortius tuentur. 33

S. 1. Vanam ajunt Patres, quam homines
felicitatem adstruunt. 34

S. 2. Quæ Mala vulgus appellat, esse Patres
infitantur. 37

Caput VII. Certum item est, ac indubita-
tum pro illâ sententiâ Dei ipsius testi-
monium. 39

Caput VIII. Demus licet, Mala esse, quæ
jam confutavi: hanc tamen secundam
accipe rationem, quâ videoas, si cum
atrocissimis illa Malis contuleris, qua
Peccatum invehit, & Mala nihilomi-
nis pergis appellare, te non sapere. 43

Caput IX. Ex eo Peccati gravitatem do-
ceo, quod acerbissimo Deus odio perse-
quitur. 49

S. 1. Ejus enim naturæ Peccatum adver-
satur. Ibidem.

S. 2. Severissime Lucifer unius peccati reus
punitur. 52

S. 3. Peccans item Adamus, & cum eo
posteritas omnis. 55

S. 4.

Capitum Elenchus.

§. 4. Odii Divini magnitudinem vides ē diluvio.	58
§. 5. Ejusdem acerbitatem Pentapolitæ senserunt.	63
§. 6. Sentient aeternū Inferi.	65
§. 7. Atrocissima pro alieno crimine Christus ipse sensit.	70
Caput X. Idem aliter demonstro. Immaculata homini Mala peccatum creat.	75
§. 1. Multis hominem, & immensis Bonis spoliat.	77
§. 2. Gravissima infert damna.	86
§. 3. Etiam peccati venialis mala sunt maxima.	
Caput XI. Solum ergo time Peccatum, & fuge.	91
§. 1. Fecere Sancti omnes.	94
§. 2. Manifestius Martyres.	95
Caput XII. Non modo non sunt, quæ dicuntur Mala: sed (quæ tertia mea Ratio est) Bonis etiam esse accensenda contendō.	97
§. 1. Felicitatem Christus illis adscribit.	101
§. 2. Purgantium flammarum vice noxie expiant.	102
§. 3. Peccatis avertunt.	104
§. 4. Cælum promerentur.	105
§. 5. Per illa Christus præivit.	107
Caput XIII. Ex antecedentibus omnibus	111

Capitum Elenchus.

confice, ab alio lədi te numquam posse.

114

Caput XIV. Relinquitur itaque verum
id esse: Lædi te à teipso, quicumque læ-
deris.

120

LIBER SECUNDUS.

PRæfatio. 125

Caput I. Publicæ calamitates, si sapis,
non te lqdunt. 127

S. 1. Alienæ ferè sunt. Ibid.

S. 2. Non sunt ea, quæ dicuntur, calamita-
tes. 133

S. 3. Imò bona sunt. 137

Caput II. Nēque paupertatem malam re-
ctè appellaveris. 141

S. 1. Dives est, non qui multa habet, sed
qui nihil cupit. Ibidem.

S. 2. Natura paucis contenta. 146

S. 3. Paupertas fidem explorat amicorum.

149

S. 4. Secura est, & extra pericula. 151

S. 5. Ad virtutem seclandam expedita. 153

Cap. III. Nec fortuna potest lədere nisi co-
lentem. 158

S. 1. Nullam illi fidem habe. 159

S. 2. Teneri non potest fortuna. 163

S. 3. Adversa tutior est, quam secunda. 165

Caput IV. Non nisi molliorem animum
lədunt carorum funera. 168

S. 1.

Capitum Elnchus.

S. 1. Mortales erant, inter quos coaluit amicitia.	169
S. 2. Qui obiit, puta abiisse; aut præivisse.	171
S. 3. Puta abiisse ad Bona.	172
S. 4. A mortuo majora, quam vivo speranda sunt.	174
S. 5. In Deo spes tuas colloca.	176
S. 6. Illud à Deo.	178
Cap. V. Nullum à contemptu vulnus time.	
S. 1. Si peccasti, meritus es: bono tuo contemneris.	179
S. 2. Citra culpam, sed verè si contemneris, tangite ne putas.	181
S. 3. Immerito contemneris? Ne moveare: nihil fit.	183
S. 4. Imò juvat ad virtutem, & palmam contemptus.	187
Caput VI. Malam ne dixeris invidiam, Boni quippè testimonium est.	193
Caput VII. Neque ab ingratitudine, vel perfidia Malum feres.	194
S. 1. Virtuti, vel gloriæ nihil detrahent.	179
S. 2. Suos ipsæ dolos aperiunt.	200
S. 3. Deum tibi scopum esse præfigendum docent.	203
Caput VIII. Ne accusations, ne damnationes ipsas timeto.	205
	207

Capitum Elenchus.

- S. 1. Si nocens es, pro merito patere. 208
S. 2. Accusaris innocens? Hoc melius, quam
in triviis apud plebeculam traduci. 210
S. 3. Litem protrahi ne querere: eo clare-
scit magis innocentia. 211
S. 4. Si damnaris, non eo nocens sis. Non
ignorat Deus, Christo te socium habe.
214

Cap. IX. Nec ullo malo te exilium afficiet. 215

- S. 1. Spontè exulare potes. 216
S. 2. Omnis terra patria est. 217
S. 3. Ibi patria, ubi virtuti locus. 220
S. 4. Imò nulla toto mundo patria. 223
Cap. X. A carcere laedi te posse nego. 224
S. 1. Exiguum spatum corpori satìs est.
Ibidem.

- S. 2. Vinculis animus teneri non potest. 227
S. 3. Tenetur tamen corporu infelicitissimo
carcere. 229
S. 4. Longè infelicitissimus est, peccatum
prava consuetudo. 233

Cap. XI. Neque justus est tormentis metu. 236

- S. 1. Mercedis in cælo spe contemnenda sunt.
Ibidem.
S. 2. Martyres illustri exemplo contempse-
runt. 240
S. 3. Parestratio insonibus quibusq;. 243
Cap. XII. Servitutem malum non esse sta-
tuo. 244

Capitum Elenchus.

S. 1. Servos quippe natura nos genuit.	245
S. 2. Jure gentium, ac rectâ ratione servi- mus.	247
S. 3. Sponte, nec sine gloriâ nonnulli ser- vierunt.	250
S. 4. Nulla virtuti servitus est.	251
S. 5 Omnis est à peccato.	254
Cap. XIII. Morbi sapientibus etiam optan- di sunt.	256
S. 1. Tam ex lege naturæ morbi sunt, quâdu ipsa mors, quam illi prænuntiant: ma- gno nostro bono.	257
S. 2. Peccandi facultatem tollunt: certè imminuunt.	258
S. 3. Ad rectè agendum vim conferunt ex certâ Dei voluntate.	259
S. 4. Exemplis probo.	261
S. 5. De mutilationibus idem affirmo.	263
S. 6. Æterne denique felicitatis prodromi sunt morbi.	265
Cap. XIV. Postremò nec ab ipsa mortis fal- ce vulnus metue.	267
S. 1. Mors à natura rebus omnibus conditis lex data est.	268
S. 2. Bonorum usum non tollit.	270
S. 3. Tollit omnia mala.	273
S. 4. In ultimam, & aeternam felicitatem inducit.	273
Cap. XV. Totius disputat. conclusio	278

F. S.

卷之三

三

